

dam deaurare. Quod et animi tui lux admirabilis, mira fecundia pollens, manu fortissima vicens, mihi inde sæpius et studiose deliberanti, summamque dicere volenti clarificavit. Lex tamen ista, licet lethifera multis in locis, maximum testimonium, argumentumque firmissimum sanctitatis et excellentiæ nostræ legis, videntibus et electis præbet. Istud quidem tuam minimè latuit sapientiam, quæ me compulit interim astronomiæ geometriæque studium meum principale prætermittere. Sed ne

A procœmium fastidium generet ipsi finem impono, tibi que cœlesti, cœlum omne penetranti, cœlestem munus voveo, quod integritatem in se scientiæ complectitur. Quæ secundum numerum, et proportionem atque mensuram cœlestes circulos omnes et eorum quantitates et ordines et habitudines, demum stellarum motus omnimodos, et earundem effectus atque naturas, et hujusmodi cætera diligentissime diligentibus aperit, nunc probabilibus, nonnunquam necessariis argumentis innitens.

Totam ipsam Alcorani translationem hic attexere superfluum. Confutavit eam et ipse Petrus Venerabilis libris sequentibus.

PETRI VENERABILIS

ABBATIS CLUNIACENSIS NONI

ADVERSUS NEFANDAM SECTAM SARACENORUM

LIBRI DUO.

(Edidit D. MARTÈNE, *Ampl. Collect.* t. IX, col. 1119, ex manuscripto codice Aquicinctensi, auctoris ævo conscripto.)

BSERVATIO PRÆVIA.

Ea est celeberrimi Cluniacensis monasterii prærogativa, ut primos omnes abbates et scientia et sanctitate illustres habuerit, quorum exemplo, non minus quam industria et zelo, per ducentos circiter annos integra in eo illibataque viguit regularis disciplinæ observatio. Primus ab ea deflexit qui S. Hugoni successerat Pontius abbas: at qui ipsi suffectus est Petrus Mauritius, vulgo Venerabilis dictus, vir natalium splendore, doctrina et pietate vix cæteris impar, inflicta ab eo ruinas statim reparare curavit. Nec solum ordinis monastici, sed ipsas etiam Ecclesiæ maculas delere sollicitus, præcipuos ejus hostes eruditissimis scriptis strenuissime impugnavit. Nam et Judæos singulari libro confutavit, ætatis suæ hæreticos prostravit scripto adversus Petrobrusianos egregio tractatu. Sed nec insensissimos Christiani nominis adversarios, Mahumetanos dictos, reliquit intactos. Eapropter anno 1141 profectus in Hispaniam, omnem adhibuit curam, ut lex ipsorum (Alchoranum vulgo appellant), Latine converteretur in linguam, advocatis ad hoc negotium tribus Arabicæ linguæ peritissimis viris, Roberto Kecenensi, Armanno Dalmata et Petro Toletano, quibus, ut versio ipsa omnibus esset numeris absoluta, quartum addidit Saracenum, Mahumet nomine, utpote patriæ linguæ magis gnarum, nullis omnino pecuniarum expensis parcens. Et quia minus familiaris erat illis lingua Latina, dedit etiam eis adiutorem doctum virum, dilectum filium et fratrem Petrum notarium suum, quem idem esse existimo cum Petro Pictavino, cujus hic in limine quatuor librorum habes capitula.

Reverso in Gallias venerabili abbati præcipua fuit sollicitudo procuratam a se translationem ad summum amicam suam S. Bernardum transmittendi, ut ad scribendum contra tam perniciosum errorem collatam ei divinitus doctrinæ magnificentiam animaret. Petri epistolam, anno 1143 datam, habes in Bibliotheca Cluniacensi, pag. 1109; Bernardi ad eam responsum hactenus desideravimus. Sed neque aliquid unquam, eo de argumento, ab illo tractatum fuisse apparet, relicta abbati Cluniacensi hac provincia. Igitur morem illum Patrum secutus, quo nullam unquam suorum temporum vel levissimam hæresim silendo præterierunt, quin ei totis fidei viribus resisterent, et scriptis ac disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent, egregium opus aggressus est, cujus capitula librorum quatuor ipsi præstituerat Petrus Pictavinus, tametsi iis se minime passus est astringi. Totam Petri Venerabilis lucubrationem libris quinque distinctam fuisse asserit Andreas Quercetanus, eosque plurimum a se perquisitos nequaquam reperiri potuisse dolet. Nos eo paulo feliciores adeo desiderati operis duos priores libros offendimus in pervetusto codice Aquicinctensi auctoris ævo eleganter exarato, ubi exstant ad calcem epistolarum ejus: quos interim, dum reliqui possint reperiri, eruditissimis lectoribus hic exhibemus.

CAPITULA PETRI PICTAVENSIS

AD DOMNUM PETRUM ABBATEM

Unico et singulari Patri et domno suo, domno abbati Cluniacensi PETRO, filiorum ejus exiguis PETRUS, gaudere semper in Christo.

Dum semper omnia more vestro philosophice agitis, satis competenter mihi et patienti, et multis passionibus digno, passionem legendam misistis. Gratias dulcedini vestræ, quod hac saltem occasione epistolam vestram et salutationis paternæ gratiam teneo, quibus interim absentiae vestræ, quæ mihi semper gravissima est, molestiam multo levius fero. Verumtamen postquam intellexi vos habere in proposito ad Angliam (201*), ducente Domino, transfretare, valde sollicitior factus sum pro vobis et pro sociis et pro toto itinere vestro, ac prospero ad nos reditu, omnipotenti Deo, prout ipse largitur, preces et vota supplicationis offerre. Sed et illos quos devotiores et in sanctis orationibus novi studiosiores, ut idem faciant deprecari studeo, et magis atque magis Christo donante studebo. Spiritus sanctus dirigat iter vestrum, et consilium vestrum, et de reditu vestro ad nos plenum faciat gaudium nostrum. Mitto vobis capitula quæ Joannem perdidisse mandastis, et credo quod multo distinctius ordinata sint quam ante. Siquidem ita modo prænotata sunt, sicut agere cœpistis, vel si tamen vobis videtur deinceps acturus estis contra illos vere inimicos crucis Christi. Ex multa vero fiducia qua ingenium vestrum novi, si quid addere vel mutare præsumpsi, et hoc vobis ita placuerit, maneat; sin autem, vestrum est corrigere quod erraverimus. Capitulum etiam quod est ibi de uxori-

bus turpiter abutendis, non vos ullo modo scandalizet, quia vere ita est in Alchorano, et sicut ego in Hispania pro certo, et a Petro Toletano, cujus in transferendo socius eram, et a Roberto Pampilonensi nunc archidiacono audivi, omnes Saraceni hoc licenter, quasi ex præcepto Mahumeth, faciunt. Volo autem quod sic isti confundantur a vobis, sicut confusi Judæi et provinciales hæretici. Solus enim vos estis nostris temporibus, qui tres maximos sanctæ Christianitatis hostes, Judæos dico et hæreticos ac Saracenos divini verbi gladio trucidastis, et matrem Ecclesiam, non ita orbatam vel desolatam bonis filiis ostendistis, quin adhuc, Christo propitio, tales habeat, qui possint omni poscenti rationem reddere de ea quæ in nobis est spe et fide, et humiliare omnem arrogantiam et superbiam dia-

boli extollentem se adversus altitudinem Dei. Salus et prosperitas et omne bonum vobis in primis, sociis quoque vestris et nostris domno Hugoni Anglico, et Joanni qui perdidit capitula, Bartholomæo nostro, domno Constabulo, Godefrido, Girardo, Alemanno, si tamen vobiscum est, et cæteris omnibus. Ignoscite, quæso, tarditati et infirmitati meæ, quia novit Dominus, cum multum voluissem, gravi totius corporis et maxime solita pedum debilitate constrictus, non ante potui vobis hæc mittere. Scripsi enim hæc omnia etiam in majore libro, timens ne et ipsa perdantur in via, sicut perdita sunt capitula; quod valde laboriosum fuit.

Explicit epistola.

CAPITULA LIBRI PRIMI DOMNI PETRI

ABBATIS CLUNIACENSIS,

Contra sectam nefandam Saracenorum.

I. *Prælocutio ad Saracenos admonens et excitans eos, ut patienter audiant, et rationabiliter intelligant quæ sequuntur.*

II. *Quam stulte ac ridiculose dicunt Judæos legem suam perdidisse, et modo non nisi falsatam et mendosam habere.*

III. *Qua ratione hæc illorum opinio stulta et vana esse probatur.*

IV. *Quod quia similiter Christianos Evangelium et scripta apostolica perdidisse asserunt, quomodo facillime refelli possit monstratur.*

V. *Quod non potuisset Christianos latere falsitas Evangeliorum, maxime cum per universum orbem diffusi, nullaque linguarum varietate divisi, idem prorsus Evangelium omnes habeant, nec ab illa unius et ejusdem Evangelii veritate aliqui hoc tempore Christiani dissentiant.*

VI. *Quod si falsatum esset Evangelium, nec tot linguarum ac gentium homines, tamque studiosos ac sapientes hoc latere potuisset, nec seipsos ipsimet nudato mendacio falli permisissent, nec relicta veritate, falsa pro veris, incerta pro certis tenuissent.*

VII. *Quod ex parte illa qua Evangelium suscipiunt, necessario eos illud etiam ex toto suscipere debere probatur.*

CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. *Quod Mahumeth dici vel credi propheta non debeat his de causis.*

II. *Quod raptor fuerit, istudque ex sequentibus comprobatur.*

III. *Quod homicida insuper et parricida multorum fecit.*

IV. *Quod proditor fuerit, incautos et dormientes sæpe jugulans.*

V. *Quod adulter nefandus exstiterit, adulteria perpetrare sibi a Deo concessum in Alchorano suo dicens.*

epistola ad Henricum Wintoniensem episcopum, qui fuerat monachus Cluniacensis, lib. II, epist. 15.

(201*) Duplicis in Angliam profectionis meminit Petrus Venerabilis in lib. II Miraculorum, cap. 52, atque in una saltem diu moratum fuisse testatur in

VI. Quod insuper rem Sodomiticam atque turpissimam docuerit, præcipiens in Alchorano suo, et velut ex persona Dei sic loquens: « O viri, mulieres vobis subjectas ex quacunque parte vobis placuerit parate. »

VII. Quod sæpissime in Alchorano suo sibimet contrarius sit, modo negans, modo affirmans illud idem quod ante negavit.

VIII. Quod legislationem ejus nulla miracula commendaverunt, cum Moyses antiquæ legis lator, et Christus Novi Testamenti conditor multis et magnis miraculis leges quas dederunt, divinas et sanctas esse firmaverint.

CAPITULA LIBRI TERTII.

I. Quod Mahumeth miracula facere non potuerit ex supradicta ejus nefanda vita probatur.

II. Quod ipse in Alchorano suo fateatur signa sibi a Deo data non esse.

III. Quam frivola, imo quam nulla sit ratio, quam ibi prætendit, quare scilicet miracula non faciat, introducens Deum sic sibi loquentem: « Nisi sciremus eos tibi non credituros, daremus tibi signa et prodigia. »

IV. Quod inde etiam sibi contrarius sit, quando et prophetam se nominat, et tamen signa sibi data non esse affirmat, cum prophetia maximum signum sit.

V. Quod necesse sit eum in altero horum duorum mentiri, quia si propheta fuit, signa prophetica accepit; si signa non accepit, propheta non fuit.

VI. Quod lux, ut fabula genituræ et nutrituræ ipsius habet, inclusa costis Adæ, indeque costis Noe, et sic per successiones usque ad ipsum nulla unquam fuerit, sed est omnium risu dignissima.

VII. Quod eum prædixisse dicunt successuros sibi in regno, primo Abubarcharum, secundo Aomar, tertio Odmen, quarto Hali, et quædam alia falsum esse monstretur et ipsius historici qui hoc refert relatione.

VIII. Quod rursus prophetam eum esse non potuisse, ex Evangelio Christi, uti ex aliqua parte credunt, comprobetur.

CAPITULA LIBRI QUARTI.

I. Quod verba Domini dicentis in Evangelio. « Lex et prophetæ usque ad Joannem (Luc xvi), non de omnibus prophetis dicta sunt, sed de illis tantum qui universalem mundi salutem, quæ per Christum facta est, ante Christum prædixerunt.

II. Quod et post Joannem vel Christum alii prophetæ fuerunt, vel forte futuri sunt, qui non illa magna et singulariter salutem humanam operantia, sed quædam ad quasdam proprias gentes, terras, vel personas pertinentia, prophetico spiritu prædixerunt, vel fortassis prædicturi sunt; quorum exempla multa tenemus.

III. Quod nec de istis, nec de illis Mahumeth fuerit, qui nec salutem quæ per Christum facta est, cum longe post Christum fuerit, prædixit, nec aliqua saltem minima ad prophetiam pertinentia dixit.

IV. Quod istud ex Alchorano ejus ostenditur, in quo nihil prorsus propheticum scripsit, cum nulla hoc habeat ratio, eum scilicet alicubi propheticè dixisse. Et hoc in illa sua, juxta illum, sublimes et sola scriptura tacuisse, ubi cum se prophetam dicat, nulla tamen prophetica narrat.

V. Quod tota scriptura Mahumeth nihil aliud sit quam sæces horridæ, et reliquæ fœtidæ hæresum ante quingentos quam ipse nasceretur annos, ab universali sacrosancta totius orbis Ecclesia damnatarum atque sepultarum, maxime autem Manichæorum, et apocryphorum scriptorum, præcipueque Thalmuth exsecrandi libri Judæorum, quas scilicet Saraceni hæreses, quia veraces historias et gesta ecclesiastica non legunt, nec legere sciunt, nec ipsa tempora, nec ipsas hæreses fuisse aliquando audierunt; et ideo istum Satanam quasi mira et nova dicentem animales et miseri susceperunt.

VI. Exhortatio et admonitio, ut saltem hoc ultimo tempore, quando jam finis sæculi prope est, ad veram et sanctam Christianitatem veniant, diaboli fabulas et deliramenta respicientes, atque in crucem Christi et mortem, in qua sola vera et tota hominum salus est, per sacri baptismatis ablutionem credentes.

Expliciunt capitula libri quarti.

INCIPIIT PROLOGUS DOMNI PETRI

ABBATIS CLUNIACENSIS

IN LIBRO CONTRA SECTAM SIVE HÆRESIM SARACENORUM.

1. Contra sectam nefariam nefandi Mahumeth acturus, in primis omnipotentem Spiritum Dei invoco, ut qui nulli unquam adversus hostes suos et Ecclesiæ suæ agenti defuit, mihi quoque contra pessimos utriusque adversarios agere disponenti non desit. Locutus est ille per prophetas, inflammavit apostolos, perfudit exundanti chrismate orbem terrarum, et sicut unguentum in capite usque ad ipsam oram vestimenti defluxit, adsit, oro, tanta ejus largitas mihi ultimo suorum, et qui continens omnia scientiam habet vocis (Sap. 1), ad opus quod aggredior utiliter exsequendum, cor scientia, os voce verboque congruo repleat. Spero autem quod invocanti se aderit, quia benignus est.

enim Spiritus sapientiæ (ibid.), imo (quod plus esse non dubito) quia de Ecclesia illa sum cui Salvator promisit: Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum (Joan. xiv). Sed causa forte scribendi quæritur, quæ ne superfluous scriptor videar, proponenda est.

2. Causa scribendi hujus operis. — Antiqui scriptores adversus hæreticos. — Causa plane scribendi hæc mihi fuit, quæ multis et magnis Patribus existit. Non potuerunt illi pati quamlibet vel parvam jacturam fidei Christianæ, nec adversus sanam doctrinam insanientem multiformium hæreticorum vesaniam toleraverunt. Caverunt esse muti, ubi loquendum erat, advertentes, imo plenissime scien-

tes non minus se addicendos in subtili apud Deum A statura iudicii de infructuoso, vel (quod majus est) de damno silentio, quam de verbo otioso vel noxio. Ideo epistolis, ideo libris, ideo diversis ac robustis tractatibus obstruxerunt os loquentium iniqua (Psal. LXII), et omnem, juxta Apostolum, Satanæ altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei (II Cor. x), loquente per eos Spiritu Dei, prostraverunt, calcaverunt, destruxerunt. Transeo antiquos ipsa antiquitate minus famosos hæreticos, Basilidem, Appellem, Marcionem, Hermogenem, Cataphrigas, Eucratitas, Montanum cum Prisca et Maximilla feminis insanis, Novatianum, Eunomium, multaque alia Christiani nominis monstra. Horum vesaniæ obvii resisterunt illorum temporum magni doctique homines Agrippa, Justinus philosophus et martyr, Theophilus Antiochenus episcopus, Apollinaris Gerapolitanus episcopus, Philippus Cretensis episcopus, Musanus, Modestus, Ireneus nostræ Lugdunensis Galliæ famosus episcopus et martyr, Rodon Asianus, Milciades, Apollonius, Serapion, Hippolytus, Victorinus, Rethicius Æduorum episcopus; pluresque alii nobis ignoti. Et hos prætereo. Ad præcipuas diabolicæ pravitatis pestes, quibus maxime Satanæ Ecclesiam Dei inficere et velut robustioribus machinis subvertere conatus est, venio: Dico autem Manichæos, Arianos, Macedonianos, Sabellianos, Donatistas, Pelagianos, omniumque ultimos Nestorianos et Eutichianos. Horum primi Manichæi universa Testamenti Veteris volumina abjicientes, prophetas respuentes, ipsum Evangelium ex parte suscipientes, ex parte contemnentes, duo boni malique principia constituebant. Deum cum gente tenebrarum pugnas, ne vinceretur, partem sui frugibus, carnibus, herbis, arboribus, cunctisque hujusmodi miscuisse, liberandam paulatim post esum talium ructibus humanis, mortem Domini phantasticam, resurrectionem falsam, multaque talia magis reticenda quam dicenda, prodigiosi et per inanissimas fabulas aberrantes homines delirant.

3. *De Arianis.* — Ariani, fertilior aliis seges diaboli, ponentes in cælum os suum, linguaque eorum transeunte in terra (Psal. LXXII), unius veri ac summi Dei Patris, Filii, ac Spiritus sancti divinitate pro

4. *De Macedonianis.* — Macedoniani et ipsi insani cum Arianis hæresim dividebant, Filium verum Deum Patrique coessentialem fatentes, Spiritum sanctum ab utriusque deitate separantes.

5. *De Sabellianis.* — Sabelliani, omni se velut nimis molesta Trinitatis questione exuentes, unam tantum in deitate personam sub tribus nominibus intelligendam esse patabant.

6. *De Donatistis.* — Donatistæ, ex sacris libris

A sub persecutione persecutoribus traditis sumpta occasione, astruebant, exploso toto orbe a salute, non nisi in Africa Ecclesiam esse posse, contra Christum dicentem: *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertia, et prædicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem (Luc. xxiv).*

7. *De Pelagianis.* — Pelagiani gratiæ Dei, qua sola salvamur, superbi et pessimi inimici, subtilius aliis hæresibus acuebant linguas suas sicut serpentes (Psal. cxxxix) et veneno aspidum latente sub labiis eorum (Psal. xiii), inter multiplices de hac materia blasphemias, substantiam quidem humanam a Deo, bona autem humana liberi arbitrii causa ab ipsis hominibus esse dicebant.

B 8. *De Nestorianis.* — Nestoriani, horum penultimi, deitatem a Christo Deo et homine removebant, negantes esse Deum, profitentes hominem purum.

9. *De Eutychianis.* — Eutychiani ultimi in supra scriptis, cum sint Nestorianis contrarii, non tamen minus impii, in sententia dispares, in perfidia pares, sicut illi Christum verum Deum, sic et isti negabant verum hominem. Dicit Nestorius: *Homo tantum est Christus.* Dicit Eutyches: *Deus tantum est Christus.*

10. *Adversus istos hæreticos qui scripserint auctores.* — Et ut eo ordine quo hæreses propositæ sunt, destructores quoque hæresum proponantur, contra Manichæos primus aut pene primus, libro disputationis edito, egit Archelaus Mesopotamiæ episcopus. Post eum Serapion et ipse episcopus egregium librum composuit et edidit. His tempore junior, sed longe sensibus et eloquio major, magnus Augustinus succedens, libris potentibus, tam contra Faustum quam contra Fortunatum Manichæorum principes editis, nefandam hæresim expugnavit. Contra Arianos, quantum ad scripta pertinet, primum lego ad prælia processisse armatum fide et eloquio Eustachium Antiochenum episcopum, qui postquam contra Arianum dogma multa composuit, exsul Constantii imperatoris præcepto a sede et patria factus, proprium exilium gloriosa et constanti confessione moriens decoravit. Post hunc lego Marcellum Ancyranum episcopum, multa adversus eosdem scripsisse volumina. Lego et Alexandrinum Athanasium non solum laboribus, non solum verbis, sed et scriptis Arianos urgentem, et contra Valentem et Ursacium Arianorum patronos integrum librum scribentem. Hilarium vero Aquitanum episcopum vere sanctum et omni scientia doctum virum, quis nesciat duodecim adversus Arianos confecisse libros? Quem lateat unus ejus libellus ad Constantium imperatorem Arianum, quem viventi obtulit, et alius in eundem, quem post mortem ejus scripsit? Est et alter quem adversus jam dictos Valentem et Ursacium edidit. Scripsit et Victorinus rhetor famosus, contra Arianorum magistrum Arium libros more dialectico. Egrot et de eodem contra eosdem libris duobus Didymus

Alexandrinus. Obtulit et apud Mediolanum Gratiano principi Maximus philosophus et episcopus, insignem de fide adversus Arianos librum. Contra Macedonianos supra scripti quidem libri adversus Arianos editi sufficiunt. Nam sicut Patris et Filii, ita et Spiritus sancti deitatem tam in substantia quam in majestate, quam Macedoniani diffitebantur, commendant. Sed ut etiam libris adversus eorum errorem specialiter dedicatis confutarentur, scripsit jam dictus Didymus de Spiritu sancto librum unum. Composuit et Basilius Cæsareæ Cappadociæ episcopus de eodem Spiritu sancto volumen. Edidit et Gregorius Nazianzenus de eadem materia librum alterum. Sed et Ephrem Edessenæ Ecclesiæ diaconus edidit de eodem Spiritu sancto Syra lingua volumen. Contra Sabellium licet specialia opera non invenerim, quicunque tamen resistunt Arianis, quicunque repugnant Macedonianis, universi pariter contradicunt et Sabellianis. Dico (quod plus est): Non solum contra ipsos agunt Catholici; sed ipsis quoque Sabellianis resistunt hæretici. Dicit Sabellius unam esse personam Trinitatis, negat hoc Catholicus, negat Arius, negat Macedonius. Sufficit ergo ad condemnationem Sabellianorum Catholicorum consensus atque hæreticorum. Contra Donatistas universus quidem orbis, cujus hostes sunt, conclamat; sed speciales adversus eos sex libros conscripsit Optatus Afer episcopus Milevitanus. Supremo certamine eos verbis scriptisque debellavit noster et vere noster Hipponensis Augustinus. Contra Pelagianos eorumque auctores Pelagium, Cælestium et Julianum Campanum ultimos fere vitæ suæ annos scribendo libris insignibus dedicavit idem qui supra maximus et summus Latinorum doctor Augustinus. Contra Nestorianos et eorum auctorem Nestorium secunda synodus Ephesina congregata est, in qua et Nestoriana hæresis condemnata, et Nestorius auctor hæreticus adjudicatus, et a Constantinopolitano episcopatu expulsus est. Contra Eutychem et ab eo dictam Eutychemianam hæresim nobiles tam sensibus quam stylo dignas memoria epistolas scribit sanctus et primus hujus nominis papa Leo, vir magnus fide, scientia, eloquio. Hujus pastoralis studio sexcenti fere apud Chalcedonem episcopi congregati, Nestorium cum suis, Eutychem cum suis a Christi corpore, hoc est ejus Ecclesia præciderunt, et nisi qui supererant resipiscerent, perpetuo anathemati tradiderunt. Contra Jovinianum nuptias virginitati æquantem, contra Elvidium perpetuam matris Domini virginitatem negantem, contra Vigilantium sanctorum mortuorum corpora vel reliquias contemnentem, consummatæ scientiæ presbyter Hieronymus insignia more suo splendenti sermone volumina edidit, et quantum detestandi essent ostendit. Ii quidem Nestorium tempore præcesserunt, sed sectam sui nominis nullam facere potuerunt.

11. *Nullum esse errorem adversus quem non debeant scripta fieri.* — Fecit hoc semper et facit Ec-

clesia Dei, et vepres spinasve satis Dominicis inicias studiosa rucolarum suorum manu exstirpat; non cessit quolibet tempore hostilibus jaculis indefessum robur sanctorum; sed vires virtute, astutiam sapientia superans, et scuto fidei suos ab hostium furore protexit, et in eorum perniciem fulminantia spicula vehementi nisu intorsit. Non potuit pati venenosi sibilos serpentis cœlestibus oraculis prævalere, nec rectæ fidei viam ad beatam æternitatem ducentem, pravus errorum semitis ad inferos retorqueri. Hæc, inquam, hæc plane tota ac sola sanctis illis causa fuit scribendi, pro qua in hostes Christianæ salutis non solum verbis librisque invecti sunt; sed nec suis nec sibi, nec ipsi tandem vitæ propriæ pepercerunt. Hæc eadem est et mihi. Nec debeo, licet longe illis inferior et impar, minus zelari pro Ecclesia Dei, sponsa Christi, quam ipsi, cum tam mihi quam illis una fuerit vel sit fides, unum baptisma, unus Deus, una, quam illi jam obtinent, et ad quam nos suspiramus, vitæ æterna. Sed forte quibusdam erroribus obviandum et de quibusdam silendum. Non hæc opinio apud Patres. Ostendit hoc Hippolytus, inter multa alia opera sua, scribens de Pascha adversus omnes hæreses. Monstrat hoc et Barthesanes clarus olim scriptis variis in Mesopotamia apud suos, qui, ardens ingenio et in disputatione vehemens, scripsit infinita adversus omnes pene hæreticos, qui ætate ejus pullulaverant. In quibus teste Hieronymo clarissimus ille est et fortissimus liber, quem Marco Antonino tradidit. Affirmat idem et Victorinus, non ille quem præmisi, sed Pitabionensis episcopus et martyr, qui Græca Latinaque lingua instructus, adversus omnes præcedentium vel suorum temporum hæreses scripsit, nullamque contra universas scribens negligendam esse monstravit. Quem utrum in scribendo imitari posteri debeant, non solum doctrina, sed et martyrio, quem ad extremum pro fide quam defenderat passus est, lector advertat. Astruit hoc Epiphanius sanctus et famosus Salaminæ, quæ in Cypro insula est, episcopus, scribens nihilominus adversus omnes hæreses libros, eosque legendos totius orbis Ecclesiis tradens. Nulla est igitur his sanctorum exemplis docentibus hæresis negligenda, nulla est tantis magistris instrumentibus silentio prætereunda. Confutandus est omnis error, omnis pravus et fidei adversus intellectus corripiendus, et, si potest fieri, corrigendus. Exhibenda est Christo ab his quibus ab ipso commissa est Ecclesia absque macula et ruga, ut possit audire ab illo: *Tota pulchra es, amira mea, et macula non est in te (Cant. iv).*

12. *Sed maxime adversus Mahumeticum qui valde dilatatus est.* — Si ergo nulla hæresis quolibet tempore orta immunis a gladio spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes. vi*), esse potuit, nunquid tutus ab illo Mahumeticus error erit? An forte ut nullam aut parvum Christiana lingua transibit? An forte ut innoxio vel minus noxio parcat? Et quæ unquam,

o lector, hæresis adeo Ecclesiæ Dei nocuit? Quis unquam error adeo rempublicam Christianam vexavit? Quis in tantum terminos ejus rescidit? Quis tanta massa perditorum numerum infernalem adauxit? Occupavit Ariana pestis, maxima prædictarum hæresum, quasdam aliquandiu partes terrarum, easque lethali haustu Satana propinante infecit. Adjunxit nequitiae suæ quosdam reges Gothorum, duosque (quod majus est) Romani principes orbis, Constantium et Valentem corrupit. Transiit de solo barbarico in Pannoniam, indeque ad Italiam transmigravit; unde pulsa meridiana partem Galliæ, Aquitaniam dico, invasit; sed, rege Francorum Clodoveo fugante, tandem in Hispaniis vi bellica subactis resedit. Ibi vix centum annis exactis, ac rege Gothorum qui genti hæreticæ imperabat, ad Catholicam fidem spiritu Dei agente converso deficit. At Mahumeticus furor ab Ismaelitis Arabibus sumens exordium, Persas, Medos, Syros, Armenos, Æthiopes, Indos, et reliqua Orientis regna, ipsamque in tribus orbis partibus maximam Asiam pene totam corruptit, et vel a Christianismo avertens, vel a quibuslibet antiquis erroribus, ad perditum hominis sectam convertens, subtraxit Christo, substravit diabolo. Hinc non mihi ratione, sed violenta incursione, toto fere, ut dictum est, armis Oriente subacto, Ægyptum, Lybiam, Africamque universam profanæ religioni subjecit. Et sic duabus mundi partibus occupatis, nec tertiam quæ Europa vocatur, Hispania pervasa, Christo vel Christianis suis integram dereliquit. Et quid dicam ultra? Nec si universas a Christi tempore per mille et centum annos diabolico spiritu suscitatas hæreses numeraveris, simulque collectas velut in statera appenderis, adæquari huic poterunt, nec pariter omnes tantam æternis ignibus materiem injecisse invenies.

13. *Errores Mahometi an hæreses dici debeant.* — Quæ ergo nullam vel parvam hæresim intactam præterit, nunquid hunc omnium errorum maximum errorem torpens vel muta Christiana lingua transibit? Sed forte dicet vel cogitabit quisquam: Illis olim hæresibus respondit Ecclesia, quæ, ut Joannes apostolus ait: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* (I Joan. II); at error iste nec nobis exiit, nec ex nobis fuit. Christianis enim de Ecclesia, hoc est Christi corpore, quolibet errore tractis vel recedentibus, Patres suprascripti responderunt, alienos et extra Ecclesiam vagantes errores silendo contempserunt. Quibus et hic error connumerari potest, qui nec, ut dictum est, de Ecclesia exiit, ne se de Ecclesia exiisse, ut aliæ hæreses erroris non hæresis nomine satis ostendit. Non enim hæresis dicitur, nisi exiens de Ecclesia et agens contra Ecclesiam. Ad hæc ego fateor, hoc, inquam, et ipse, Christianos pertinaciter contra quamlibet rectæ fidei partem agentes, jam ab antiquo usitato nomine dici hæreticos, eo quod prave sentiunt vel fatentur, vocari hæresim. Sed utrum Mahumeticus error

hæresis dici debeat, et ejus sectatores hæretici, vel ethnici vocari, non satis discerno. Video enim eos hinc hæreticorum more de fide Christiana quædam suscipere, quædam abjicere; hinc ritu paganorum, quod nulla unquam hæresis fecisse scribitur, facere pariter et docere. Nam cum quibusdam hæreticis, scribente sic in Alchorano suo impio Mahumeth, Christum quidem de Virgine natum prædicant, majorem omni homine ipsoque Mahumeth dicunt; sine peccato vixisse, vera prædicasse, miramur fecisse affirmant. Spiritum Dei, verbum fuisse fatentur, sed nec spiritum Dei aut verbum, ut nos aut intelligunt aut exponunt. Christi passionem aut mortem non solum, ut Manichæi, phantasticam, sed nullam prorsus existisse vesaniunt. Hæc quidem et similia cum hæreticis sentiunt, cum paganis autem baptismam abjiciunt, sacrificium Christianum respuunt, poenitentiam cunctaque reliqua Ecclesiæ sacramenta derident.

14. *Sive hæreses sive paganorum deliramenta sint, debent impugnari.* — Elige igitur quod malueris, aut voca hæreticos propter hæreticum sensum, quo partim cum Ecclesia sentiunt, partim dissentiunt; aut dic paganos, propter excedentem impietatem, qua omnem hæresim erroris professione impia vincunt. Si hæreticos dixeris, probatum est supra omnibus hæreticis vel hæresibus obviandum; si paganos vocaveris, probo idque Patrum auctoritate ostendo, non minus et illis resistendum. Ad hoc affirmandum redeat ad medium supra nominatus Justinus philosophus et martyr. Hic pro defendenda Christi religione plurimum laboravit, in tantum ut Antonino quoque principi et filiis ejus et senatui librum contra gentes scriptum daret, ignominiamque crucis non erubesceret, et alium librum successoribus ejusdem Antonini Marco Antonino Vero et Lucio Aurelio Commodo. Est et ejus aliud volumen contra gentes, ubi etiam de dæmonum natura disputat. Item est et quartum adversus gentes, cui titulum prænotavit *Elegeos*. Est et dialogus contra Judæos, quem habuit adversus Tryphonem principem Judæorum. Sequatur hunc ad hoc astruendum Apollinaris urbis Hierapolis, quæ est in Asia, episcopus, qui non solum imperatori Marco Antonino Vero insigne volumen pro fide Christiana dedit, sed et alios quinque adversus gentes libros conscripsit. Edidit et Lugdunensis Irenæus contra gentes volumen. Scripsit et Milciades contra gentes Judæosque libros alios, composuit et Apollonius Romanæ urbis senator sub Commodo principe ac Severo, insigne contra paganos volumen, quod, rationem fidei suæ reddens, in senatu legit, ac post lectionem ejusdem senatus sententia pro Christo capite truncatus est. Successit his Arnobius rhetor sub Diocletiano principe, scripsitque adversus gentes, quæ illis temporibus publice legebantur. Confecit et Methodius Tyrius episcopus libros contra Porphyrium paganum philosophum, contra eundem, et Leodicenus episco-

pus Apollinaris stylum exacuit, et triginta libros condidit. Non defuit assertioni huic supra nominatus ac sæpe nominandus Athanasius Alexandrinus episcopus, hic non solum contra Arianos speciales hostes suos scripsit, sed et adversus gentes duos libros edidit. Sequatur hunc et Eusebius Emisenus episcopus, elegantis et rhetorici ingenii homo, hic innumerabiles, ut legitur, libros confecit, ex quibus præcipui sunt adversus Judæos et gentes. His universis nulli supradictorum doctrinam inferior, imo forte superior Augustinus succedat, et libris notissimis viginti duobus De civitate Dei editis, non tantum contra hæreticos, qui de Ecclesia exeunt, sed et contra paganos ac Judæos, qui in Ecclesia nunquam fuerunt, contraque omnes omnino errores congruo tempore verbo scriptoque agendum esse doceat.

15. *Ut adversus Mahumetanam legem scribi posset, Petrus abbas Alchoranum ex Arabico in Latinum curavit converti.* — Sive ergo Mahumeticus error hæretico nomine deturpetur, sive gentili aut pagano infametur, agendum contra eum est, scribendum est. Sed quia Latini et maxime moderni, antiquo studio pereunte, juxta Judæorum vocem, varias linguas apostolorum olim mirantium, non nisi linguam suam noverunt, in qua nati sunt, cujusmodi tantus error esset, agnoscere nec dicam tanto errori obviare non poterant. Unde concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exarsit ignis, indignatus sum causam tantæ perditionis Latinos ignorare, et ipsa ignorantia nullum ad resistendum posse animari; nam non erat qui responderet, quia non erat qui agnosceret. Contuli ergo me ad peritos linguæ Arabicæ, ex qua procedens mortiferum virus orbem plusquam dimidium infecit, eis ad transferendum de lingua Arabica in Latinam perditum hominis originem, vitam, doctrinam, legemque ipsam quæ Alchoran vocatur, tam prece quam pretio, persuasi. Et ut translationi fides plenissima non deesset, nec quidquam fraude aliqua nostrorum notitiæ subtrahi posset. Christianis interpretibus etiam Sarracenum adjunxi. Christianorum interpretum nomina: Robertus Kece-nensis, Armannus Dalmata, Petrus Toletanus; Sarraceni Mahumeth nomen erat. Qui intima ipsa barbaræ gentis armaria perscrutantes, volumen non parvum ex prædicta materia Latinis lectoribus ediderunt. Hoc anno illo factum est quo Hispanias adii, et cum domno Aldefonso, victorioso Hispaniarum imperatore, colloquium habui, qui annus fuit ab Incarnatione Domini 1141.

16. *Susceptus labor quid prodesse possit.* — Sed forte adhuc aliquis: Quid proderit fastidientibus cibos ingerere? quid confert aspidi surdæ et obturanti aures suas disputatione multiplici insonare? Nam homines contra quos agere disponis, alieni sunt, barbari sunt, non solum moribus, sed et lingua ipsa, nil sibi Latinisque commune esse faterentur. Quomodo igitur audiet, ne dicam exaudiet

Arabs Latinum, Persa Romanum, Æthiops vel Ægyptius Gallum? Videndum est ne frustra labor insumatur, cavendum ne utili opere relicto, superfluo tempus teratur. Ad quod ego: Poterit, inquam, quod scriptum fuerit in eorum linguam transferri, poterit Christiana veritas in litteras Arabicas vel quaslibet alias commutari; sic potuit nefandus error ad Latinorum notitiam meo studio transigrare. Sic Latinum opus in peregrinam linguam translatum, proderit forsitan aliquibus, quos ductrix ad vitam gratia Deo lucrari voluerit. Sic ex litteris Hebraicis Vetus Testamentum, sic præter Evangelium Matthæi, ex Græco Novum in universas totius orbis linguas transfusum, mundum Deo subjecit, et per Christianam fidem ab inferis revocans, cælo restituit. Sic plurima alia Patrum opera et Latinus a Græco mutuavit, et Græcus a Latino accepit. Nec defuit inter alias multiplices orbis linguas nobis ignotas hæc sermonum ad invicem commutatio, de quibus fere, ut de apostolis, dici possit: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum (Psal. xviii).* Quod si forte hæc de qua agitur Scriptura aut interpretes non habuerit, aut translata non profuerit, habebit saltem Christianum armarium etiam adversus hos hostes arma, quibus aut se muniat, aut quibus, si forte ad certamen ventum fuerit, inimicos confodiat. Occurret fortasse volumen editum cogitationibus occultis nostrorum, quibus scandalizari possunt, aliquam apud impios illos esse putantes pietatem, et apud mendacii ministris aliquam credentes esse veritatem. Jungitur huic rationi auctoritas non parva, quæ etsi jure in talibus præire debeat, nil tamen obstat, si in re proposita rationem sequatur.

17. Scripserunt quoscunque præmisi et plures quos relicui contra hæreticos, Judæos vel ethnicos. diversa magna, et mira opera, nec tamen scribentes quibus prodesse possent aut elegerunt aut præscierunt. Cumque nec elegissent neque præscissent quorum saluti labores proprii inservire deberent, non tamen idcirco vel animum a studendo, vel linguam a dictando, vel manum a scribendo vacare permiserunt. Non attendit Græcus scriptor Latino non posse prodesse Græcitatē, non cogitavit Latinus Græco frustra legi Latinitatem, non meditatus est quilibet quantumlibet barbarus sed Catholicus adversus quoslibet errores agens frustra se scribendi laborem assumere, quia non posset opus suum, nisi in varias linguas translatum, hominibus peregrini sermonis prodesse. Noverant, certi erant quod Spiritus sanctus ubi vult spirat (Joan. iii); sed scire non poterant quos, quando, vel quantum inspirat. Sciebant non esse aliquid neque qui plantat, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus (I Cor. iii). Eapropter rigando, plantando ut boni servi quod suum erat implēbant; quod Dei erat Domino dimittebant. Hos qui sequi voluerit, æstimo, imo affirmo, quia non errabit. Quod si et ipse fecero,

certus sum quia non errabo. Non errabo plane si simplici oculo fecero quod meum est, et Deo, ut dixi, servavero quod suum est. Non poterit certe, non poterit omnino labor causa Dei assumptus evadere absque fructu; si autem conversis profuerit, aut hostibus obstiterit, aut domesticos munierit, aut saltem horum scriptori pax bonæ voluntatis hominibus repromissa non defuerit. Sequatur ergo in

A nomine Domini Jesu dilati operis exordium. In fine addo, quia novi et certus sum insolita in talibus prolixitate me consuetas prologi metas aliquantulum excessisse, sed ut excusatum me lector habeat, sciat hoc importunis objectionibus disputantium contigisse, quibus ne brevis viderer, forte justo prolixior aliis exstiti.

INCIPIIT LIBER PRIMUS DOMNI PETRI

ABBATIS CLUNIACENSIS

ADVERSUS NEFANDAM HÆRESIM SIVE SECTAM SARACENORUM.

Petrus Venerabilis ex amore Mahometanorum hunc librum aggreditur. — In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, unius omnipotentis et veri Dei, PETRUS quidam, Gallus natione, Christianus fide, abbas officio eorum qui monachi dicuntur, Arabibus Imaelis filiis, legem illius qui Mahumeth dicitur servantibus.

1. Mirum videtur, et fortassis etiam est, quod homo a vobis loco remotissimus, lingua diversus, professione sejunctus, moribus vitæque alienus, ab ultimis Occidentis, hominibus in Orientis vel meridiei partibus positus scribo, et quos nunquam vidi, quos nunquam forte visurus sum, loquendo aggredior. Aggredior, inquam, vos, non, ut nostri sæpe faciunt, armis, sed verbis, non vi, sed ratione, non odio, sed amore; amore tamen tali, qualis inter Christicolas et a Christo aversos esse debet; tali qualis inter apostolos nostros et illius temporis gentiles, quos ad Christi legem invitabant, exstitit; tali qualis inter ipsum Creatorem et rectorem omnium Deum, et illos quos, dum adhuc creaturæ non Creatori servirent, a cultu simulacrorum vel dæmonum per suos avertit. Amavit plane ipse illos, antequam ipsi illum amarent; agnovit, antequam agnoscerent; vocavit, dum adhuc contemnerent. Contulit bona facientibus mala, misertus est per-euntibus sola gratia, eosque sic eripuit a miseriâ sempiterna. Habet hoc ab ipso Ecclesia Christianorum, ut sicut ille, ut ait Christus noster: *Solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (Matth. v), sic illa et in ipso amicis et propter ipsum diligit inimicos. Succedit huic Christianæ auctoritati ratio evidens, qua omne animal, ut ait quidam, diligit simile sibi. Probatur hoc inde, quod cum sub hoc genere, quod est animal, universæ quadrupedum, volucrum, vel quorumlibet talium species contineantur, familiaris sibi est unumquodque animal in propria specie, quam in universali genere. Apparet hoc in domesticis, claret et in ipsis agrestibus bestiis, quæ

B aut semper aut sæpe ab illis, quas a se natura discevit, abhorrent; easque quas similes sibi aut conformes sentiunt, consecantur. Quæ si, ut assolent fieri, contra se invicem qualibet de causa felle moto concertant, redeunt tamen cito, sedato motu, ad pacem, nec oblivisci quod factæ sunt prolixiore tempore possunt. Cumque inter infinitas, quæ, ut dictum est, sub animali continentur, species, etiam homo sit, et quod nulla alia animalium species habet, etiam ratione præditus sit, longe amplius cogitur diligere similem sibi, ratione suadente, quam ille natura trahente.

2. *Mahumethanos ad salutem invitat auctor.* — Hæ sunt causæ quibus vos Christianus diligere, quibus vobis salutem debet optare; harum altera divina, altera humana est. In illa præcepto divino obedit, in hac naturæ propriæ satisfacit. Hec modo ego de innumeris et inter innumeros servos Christi minimus, vos diligo, diligens vobis scribo, scribens ad salutem invito. Non ad salutem filiorum hominum, in quibus, juxta verbum David, *non est salus* (Psal. cXLV), quia juxta eundem, *vana est salus hominis* (Psal. LIX), sed ad illam de qua idem: *Salus autem justorum a Domino, et protector eorum est in tempore tribulationis* (Psal. xxxvi). Quæ psalmorum verba ea vobis de causa propono, quia psalmos a Deo David fuisse datos, a vestro Mahumeth audio. Loquens enim Abdixæ Judæo, sic ait: *Unum quidem Deus, duo vero Adam et Eva, tria vero Gabriel, Michael, Seraphiel; quatuor lex Moysi, psalmi David, Evangelium, et Alfurhan.* Item: *Nec enim simul descendit super me verbum Dei, quemadmodum simul data est lex Moysi, psalmi David, et Evangelium Christo.* Invito vos ad salutem, non quæ transit, sed quæ permanet; non quæ finitur cum vita brevi, sed quæ permanet in vitam æternam. Hanc consequi, hac tempore a Deo præstituto frui mortalibus quidem datum est; sed non nisi illis, qui de Deo quod est, non quod non est, sentiunt; qui eum non juxta cordis sui phanta-

smata, sed sicut ipse se coli et vult et præcipit, colunt.

3. *Illorum legem impugnare volentes audire nolunt.*

Innatum est homini nolle falli et inquirere veritatem.

— Ad ista vos : Absit ut aliter sentiat intellectus noster ! absit ut aliter se habeat professio nostra ! Nos nihil de eo somniavimus, nihil prorsus confiximus, sentimus de ipso, fatemur de ipso, non juxta figmenta corporis nostri, sed juxta quod tradidit nobis missus ab ipso propheta noster. Ille cum sit ordine ultimus in prophetis, et velut signaculum omnium prophetarum, et legis divinæ non auctor, sed lator, non Deus, sed nuntius ; mandata cœlestia a Deo per Gabrielem sibi missa, nihil plus minusve continentia accepit, accepta patribus nostris nobisque servanda tradidit. Hæc servamus, hæc custodimus, his animas, his corpora, his vitam mortemque nostram dicavimus. Et, o homines, homines inquam, non solum natura rationales, sed et ingenio et arte rationabiles, utinam mihi hic intellectuales vestrorum cordium aures præbeatis ! Utinam superstitionis obstinatione remota, quæ subinferre præparo, audiat. Audiatis ideo dico, quia quod valde mirum est, si tamen verum est, nullum contra morem vobis assuetum, nullum contra patrias vestras leges agere volentem, nullum contra ritus ab ipso quem supra nominavi vestro propheta vobis traditos disputare quærentem, vos velle audire audivi. Et non solum vos hoc a nullo velle audire accepi, sed ut ipsa loquendi primordia lapidibus aut gladiis, vel quolibet alio mortis genere obstruatis, vobis lege præceptum ab Oriente vestro ad Occidentem nostrum fama diffusa fatetur. Videte igitur, viri, juxta scientiam sæcularem prudentes ; videte, inquam, et remoto obstinatæ voluntatis obice, subtiliter considerate utrum mos iste probabilis sit, utrum ratione aliqua subnixus esse possit. Non vult aliquis hominum, qui non tantum natura rationalis, sed et vivaci mentis acuminè rationalis est, non vult plane in rebus temporalibus falli, non vult certa pro incertis accipere, ut delusus cujuslibet astu vel imprudentia, quod verum est falsum putet, quod falsum est verum existimet. Non cedit in hac parte cuiuslibet necessitudini, nec alicui super his charissimo acquiescit, non amicis, non sanguinis affinitate conjunctis, nec ab ipsis quibus arctiori amoris vinculo jungitur conjugibus, se scienter decipi æquaniviter pati potest. Cumque multoties multa et maxima carni ac spiritui molesta, amicorum causa ab amicis patienter ferantur, istud tamen homini natura indidit, ne se falli ab aliquo, quantumlibet proximo aut amico, pacto quolibet patiatur. Scrutamini universa officia mortalium et artes ipsasque liberales ; sed et ipsas quæ serviles dicuntur attendite, utrum aliquis studiosorum sæcularem scientiam amantium, de ipsis vel in ipsis se falli velit, et non magis earum veracem ac certam notitiam ab eruditoribus sive magistris accipere. Hoc indicato, præcipue ipsius terrenæ

A sapientiæ studium, cui percipiendæ cum hi qui Græce, philosophi, Latine, amatores sapientiæ vocantur, summo conamine inhiarent, ac pro ingeniorum varietate, de ipsa diverse sentirent, laxabant libera frena sermonibus, et pro majori minorive acumine rationis, in medium quæ senserant profertentes, innumeris disputationum modis ad veritatem earum rerum quæ in propositis quæstionibus versabantur, pertingere laborabant. Non obstruebant ora eorum quos studiosos inquirendæ veritatis credebant, imo magis de oppositis disputando, certatim se aliosque omni loquendi genere ad laudabile studium accendebant. Hic Græcorum, hic Latinorum, hic Persarum, hic Indorum aliarumque gentium sapientibus mos hoc propositum semper fuit, ut et ipsi scrutandæ rerum veritati semper insisterent, et ad idem inquirendum, examinandum, definiendum frequentibus studiosos collationibus animarent. Quis jam eorum ingentem multitudinem, qui inter reliquos in investiganda rerum veritate maxime floruerunt, enumeret ? Famosa et solemnitas est eorum notitia apud nostros, qui rerum creaturarum veritatem ac virtutem non tacendo, nec ad tacendum ora hominum obstruendo, sed loquendo ac disputando de naturæ occultis eruerunt ; et quæ absque dubio certa ac vera esse repererant, tam sui temporis hominibus quam posteris tradiderunt.

4. *Non ergo negligenda inquisitio veritatis, sed maxime circa divina. Sola falsitas quærit tenebras, ac proinde falsa lex Mahumetana.* — Cum igitur omnis rationalis mens rerum creaturarum veritatem agnoscere cupiat, illiusque veritatis agnitionem ad commoda sua convertere optet, et quod tacendo consequi non valet, quærendo ac disputando assequi velit, nunquam increatæ rei verax cognitio negligenda est. Nunquid quousque qui eam non capit intelligat, inquirendum, disputandum, examinandum non est ? nonne longe acrioribus stimulis ingeri mens humana debet ad agnoscendam increatam essentiam, quam ad investigandam creatam naturam ? Videatur quid de his duobus alteri præponderet, quid magis commodis humanis inserviat ; hoc inquam videatur, et tunc cujus magis cognitioni animus humanus insistere debeat agnoscetur. Volo plane rerum ad præsens visibilium vim sive virtutem agnoscere, ut in aliquo mihi, dum hic mortaliter vivo, ut aliquod huic meæ transitorie peregrinationi auxilium vel commodum ferant. Ad quid autem rem increatam et super omnia creatam, cunctaque creata regentem agnoscere quæro, nisi ut et hic viventi congrua vitæ huic subsidia donet, et post mortem hanc æternaliter ac feliciter vivere præstet ? Quæ vero est natura hæc, quæ substantia vel essentia ? nonne illa quæ communi universarum gentium more, juxta proprietatem uniuscujusque linguæ, Deus creditur, Deus dicitur ? Est igitur illa natura Deus, illeque solus increatus est qui solus Creator est, qui solus rector omnium,

qui solus presentium et æternorum bonorum auctor et largitor est. Videte igitur, vos, videte, inquam, vos quibus scribo, et juxta psalmum David, cui, ut credo, non discreditis: *Juste judicate, filii hominum (Psal. LVII)* utrum de creatura disputandum sit, de creatore tacendum, utrum libera loquendi facultas dari debeat quærenti de infimis et fugitivis bonis, et obstrui debeat os quærentis et agentis de summo et æterno bono. Liber ad cuncta mihi poterit esse discursus, loqui volenti de universis creatis, et statim ut de ipsorum Creatore agere voluero, lex Mahumetica os obturabit, aut si quid forte contra eam dixerò, vix primis verbis elapsis caput secabit. Estne hoc legis alicujus præterquam vestræ? vere nullius, plane nullius. Dirigite oculos huc illucque ab ortu solis usque ad occasum, ab austro usque ad aquilonem, universarum gentium leges, ritus ac mores scrutamini, et sicubi simile quid cautum vel traditum reperire potueritis, coram producite. Non sic, non sic, ut interim de aliis taceam, lex Christiana, non sic quidam de magnis Christi apostolis jubet. *Parati, ait, estote omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide et spe (I Petr. III)*. Quid certe, quid portendit mos hujusmodi? quid sibi vult lex talis, quæ prohibet audiri contra vos disputantem? quæ pati non potest ratione prævia contra vestros, ut creditur, errores agentem? Nonne videtur vobis hoc omni plenum pudore? non cernitis hoc omnimodo refertum dedecore? Liberam semper frontem virtus habet, non quærit angulos, velari dedignatur, obscura fugit, clara cunctisque patentia quærit. Sola falsitas agnosci timet, discuti veretur, latibulis gaudet, produci in publicum ut mortera formidat. Quare hoc? quare, inquam, veritas lumen, falsitas appetit tenebras? hæc plane causa est, et nulla alia prorsus, nisi ea quam Christus noster in Evangelio suo, quod ei datum Mahumeth vester et dixit et scripsit, de bene agentibus et mala facientibus profert: *Omnis, ait, qui male agit, odit lucem; et non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta (Joan. III)*. Certe verba hæc verba veritatis sunt; verba sunt plane illius quem Mahumeth vester, de quo paulo ante scripsi, immensis laudibus effert, quem in diversis sui Alchoran locis nuntium Dei, Verbum Dei, Spiritum Dei fatetur, quem sine peccato vixisse, quem majorem omni homine, etiam seipso, non negat. Qui si absque peccato, juxta illum, in terris conversatus est, mendax pro certo non est; nam si notam mendacii non cavisset, utique non parvus, sed magnus peccator fuisset. Ejus verba sunt illa quæ præmissi: *Omnis qui male agit odit lucem, et qui facit veritatem venit ad lucem*. Ad quid istud? contra morem reprobum, contra legem inauditam, quæ non licere vult quod omnibus licet, quæ agere contra se ex ratione volentibus auditum et aditum intercludit. Nam si mos ille, si lex illa

veritatis est, quid timet ad lucem venire, ut manifestum fiat quia in Deo vel a Deo sunt facta? Sed quid frustra longos circuitus de re cunctis nota facerem? Licet plane absque dubio mos ille, lex illa toties nominata odit lucem, diligit tenebras, non fert arguentem, non patitur contradictorem, ne arguatur falsitas ejus, ne nota fiat orbi terrarum doloso silentio tecta nequitia ejus.

5. *Proinde ridicula est lex Mahumetana.* — Attendite jam et super his, et recolite verba illius vestri, ut putatis, prophetæ, quam frivola sint, quam enervia, quantum omni robore veritatis ac rationis carentia: *Si quis, ait ille, Deum sibi introducens loquentem, tecum disputare voluerit, dic te faciem tuam ejusque faciei sequaces ad Deum convertisse. Quod agendo tam legum scientes, quam illitterati, bonam legem sequentur; sin autem, tuum est mea præcepta gentibus solummodo patefacere. Item: Si quis tecum de lege certamen inire voluerit, dic ei anathema, et iram Dei talibus solummodo comminare. Et iterum: Nolite disputare cum legem habentibus; melior est enim cædes quam lis.* Quæ sunt, quæso, hujusmodi verba? Ergone rationalis animus in tantum asinina stoliditate sepelitur, ut more bruti animalis illius, quælibet vel quantalibet onera sibi imposita patienter ferat, disceptare de his non audeat, inquirere utrum bona an mala, utrum utilia an noxia sint non præsumat? Si hoc concessero, necesse jam erit circumferri me omni vento doctrinæ, ac more arundinis flatu quolibet agitata, hac illacque inflecti, cedere omni errori, acquiescere cuilibet falsitati, nihil certi tenere, bona malis, vera falsis indiscrete confundere. Quid plane hoc concessio distabit inter hominem et pecus? Quid inter humanum animum et belluinum spiritum? plane nihil quantum ad stultam obedientiam; sed rursus multum quantum ad diversam naturam. Non enim jam homo jumentis comparabitur, sed jure pecude stolidior judicabitur; non contradicit cujuslibet imperio pecus, quia caret rationabili animo, et acquiescit rationalis animus, contradicente rationis judicio; quia non est datum judicium pecori, indiscrete cunctis imperantibus cedit, cui inter bonum et malum, inter verum ac falsum discernere naturale est, his etiam quæ damnanda judicat, vilior pecude factus, obedit. Miror nec mirari sufficio, quomodo hoc a peritis et doctis hominibus extorqueri cujuslibet astu potuit, ut crederent verba quæ præmissi a Deo esse prolata, cum nihil prorsus in eis nisi stultum, nisi crudele, nisi insanum invenire vel negligens vel studiosus lector prævaleat.

6. Nam quid est hoc: *Si quis tecum disceptare voluerit, dic te faciem tuam ejusque faciei sequaces ad Deum convertisse?* Si ergo, ut teipsum alloquar, o Mahumeth, si certe mihi tecum de lege tua, utrum justa an injusta sit disceptare volenti, nihil aliud responderis, nisi te faciem tuam ejusque faciei sequaces ad Deum convertisse, credam te vera dixisse? credam te verum prophetam Dei fuisse? cre-

dam legem quam genti tuæ tradidisti a Deo tibi traditam esse? Vere me plusquam asinum, si assensero; vere plusquam pecudem, si acquievero. In quo enim mihi te veraciter aliquid dixisse vel in modico fidem facis, si te faciem tuam ad Deum convertisse, vel a Deo avertisse asseris? Sed et quod, obsecro, monstrum est, quod tibi dixisse Deum adjungis: *Quod agendo tam legum scientes quam illiterati bonam legem sequentur?* quid agendo? Si dixeris faciem tuam te ad Deum convertisse, propter hoc igitur tam legum scientes quam illiterati legem tuam quam bonam dicis sequentur. Sed quid rem aperte ridiculosam persequor? Hunc præcedentem sequatur et alius versus. Scribis enim Deum adjecisse: *Sin autem, tuum est mea præcepta gentibus solummodo patefacere.* Quid est hoc? Dixeras Deum dixisse quod si ea quæ præmissa sunt, diceres, tam legum scientes quam illiterati bonam legem sequerentur. Quid est ergo quod addidisti: *Sin autem, tuum est mea præcepta gentibus solummodo patefacere?* Facis primo Deum loqui modo enuntiantis, et nunc subinfers verba dubitantis: enuntiantis enim modo locutus est, quando dixit: *legem scientes vel sine litteris bonam legem secuturos;* dubitantis vero, quando dixit: *Sin autem.* Quod si enuntiative locutus est, cur omnes tam scientes quam illiterati tuam legem non sequuntur? Quod si dubitabat tibi credituros, quare dixit omnes legem tuam secuturos?

7. Sed sequitur et aliud quod præmissi capitulum: *Si quis tecum de lege certamen inire voluerit, sic ei anathema, et iram Dei talibus solummodo comminare.* Et hoc cui non liceat? cui plane hominum hoc non facillimum sit? Quod præceperis dicere mihi, hoc idem non prohibeor et ego dicere tibi. Sicut tibi leve est, ut mihi tecum de lege tua certamen inire volenti dicas anathema, ita mihi per facile est ut, te mecum de lege mea agente, si acquiescere nolueris, dicam tibi anathema. Si leve tibi est iram Dei mihi, nisi tibi credidero, comminari, ita et mihi vel cuilibet facile est eandem iram Dei, nisi mihi acquieveris, comminari pariter et imprecari. Estne igitur justum, estne rationabile ut, nulla mihi auctoritate proposita, nulla ratione præostensa, credam tibi, acquiescam legi tuæ, si nihil mihi aliud, nisi anathema dixeris, si nihil aliud quam iram Dei comminatus fueris? Sed, quia cujus ponderis hæc tua verba sint brutis etiam pectoribus patet, procedo.

8. *Soli Judæi et Christiani legem proprie a Deo acceptam habuerunt. Cur Mahomet suos noluerit disputare cum legem habentibus.* — *Nolite,* inquit, *disputare cum legem habentibus, melior est enim cædes quam lis.* Et hoc infernale consilium quis non videat? *Nolite,* inquit, *disputare cum legem habentibus.* Qui sunt legem habentes? Prout obscura illius hominis intelligere possumus, legem habentes nulli sunt alii quam Judæi vel Christiani. Nam oculorum acie huc illucque diducta, nullos alios in orbe

legem habentes, quando hæc ab illo dicta sunt, vel tunc fuisse, vel adhuc esse video quam illos quos præmissi, Judæos scilicet aut Christianos. Hi plane, non alii, legem prius acceperant; acceptam juxta suos habitus vel intellectus tenebant. Judæi legem datam per Moysen, Christiani legem datam per Christum. Nam pagani, vel vestræ stirpis Saraceni, qui vestrum Mahumeth præcesserant, legem prius accepisse dicendi non sunt. Nulla enim vel paganis ab aliquo lex data fuerat, quos solus error falsis, nec nunc dicendis hominum opinionibus infecerat; nec Saracenis, quia necdum legis vestræ lator, ne dicam auctor superscriptus advenerat. Quod si quis forte opposuerit quasdam legum sanctiones Græcis, aut Latinis, vel quibuslibet aliis gentibus traditas, sicut olim Solonis leges Græcis, sicut quorundam Latinorum sapientium Romanis; respondeo legibus illis non esse cautum vel traditum quid de Deo crederent, quo ritu vel modo eum colere deberent; sed tantum non mandato divino, sed hominum consilio provisum qualiter suam rempublicam unaquæque gens regeret, quo ordine pacis vel belli tempore vitam transigeret, ne si absque alicujus certæ legis limite bestiali more vivere conarentur, mala bonis, justa injustis passim permiscendo, confunderent, ne ipsi vel eorum respublica in tanta rerum perturbatione diu persistere possent. De divinis vero nullus apud eos sermo, nisi qui omni auctoritate et ratione destitutus, et aut ex ridiculosis fabulis, aut ex stultis hominum deliramentis, aut fraudulentis dæmonum oraculis originem trahens, non ad veram deitatis cognitionem vel cultum homines duceret, sed idolis, vel quibuslibet rebus creatis pro Creatore ad colendum propositis, ab ipsa plenissime et omnino miserrime averteret. Ea de causa hujusmodi homines legem habentes dicendi non sunt, quam a Deo non acceperunt, sed ipsi sibi ritum vivendi, vel Deum colendi, prout libuit, confixerunt. Soli ergo Judæi vel Christiani ante Mahumeth, vel ejus tempore, legem habentes dicendi sunt, quam non a se inventam, sed a Deo traditam acceperunt. De his igitur mihi videtur dictum ab eo: *Nolite disputare cum legem habentibus.* Cur hoc ab isto dictum? cur ne cum legem habentibus disputarent ab eo præceptum est? Si de veritate legis suæ confidebat, quare suos disputare prohibuit? Si diffidebat, cur ea quæ sui non possent defendere scripsit? Sed noverat aut ipse, aut (quod pace vestra dictum sit), qui per eum loquebatur Satanias, legis Judaicæ vel Christianæ tantum esse robur, tam stabile fundamentum, ut non dicam humanis verbis, vel rationibus obrui, sed nec vi bellica, nec armorum fremitu, nec tormentis dirissimis, seu mortibus quibuslibet impulsu vel in modico posse mutari. Expertus fuerat illius primæ legis tempore Judæorum in Machabæis constantiam, evangelicæ gratiæ diebus in martyribus tolerantiam, non posse prævalere æternæ sapientiæ humanas rationes, invictæ virtuti non posse resistere mortalium languidos et enerves co-

natus. Eapropter qui mundanam sapientiam, qui humanam virtutem legibus divinis jam subtractam cernebat, quomodo sibi lite proposita de victoria suæ partis blandiri poterat, vel saltem primos disputationum ictus perferre? Destitutus itaque omni resistendi præsidio, confugit ad fugam, et qui nihil rationabile vel ponere vel objicere poterat, elegit silentium.

9. *Non ratione, sed gladio agi voluit.* — Sed ne ex toto adversæ parti cedere videretur, pro ratione arma assumpsit, et, furiosorum more, nulli dans interroganti responsum, ad lapides, fustes, vel gladios se convertit. His armatus agentem contra se impetit, imo priusquam agit, pene priusquam agere incipiat, velut ex improvise irruens fera crudelis, exstinguit. Talem tam justum, tam rationalem disputationibus finem vester propheta Mahumeth, o Agareni, imponit, tam æqua sententia inter partes sibi adversas discernit; tale iudicium usque ad sua vel vestra tempora sæculis inauditum laudabilis arbiter profert. Nam, ut præmissi, hæc ejus verba sunt: postquam enim dixit: *Nolite disputare cum legem habentibus*, subdit: *Melior est enim cædes quam lis*. Et quid dicam? Deficiunt verba ad tantam absurditatem, tam bestialem crudelitatem, tam nefandam nequitiam confutandam. Vere avida humani sanguinis bestia Satanas hoc invenit, per hunc, velut per organum sibi congruum, hoc efflavit, cuius lingua velut penna vel calamo usus, tam inhumanum et immane facinus et dixit et scripsit. Sciebat fabulosam et nugacissimam, ut in suo loco probabitur, sectam aliter diu stare non posse; non ignorabat erroneum dogma velut aranearum telam levi negotio dissolvendum, si libera contra illud agere volentibus via pateret, si prædicatoribus verbi divini more antiquo adversus eam disputare liceret. Non erat immemor olim in omnem terram eorum sonum exisse, et in fines orbis terræ eorum processisse verba, qui missi a Christo, verbum æternæ vitæ ubique disseminaverant, et totum fere mundum ad agnitionem veritatis perduxerant. Intelligebat nullum eorum, qui per eos crediderant, credere potuisse, nisi prius audiret quod credere deberet, nec audire hoc posse, si prædicatore careret. Nam sicut ait quidam magnus Apostolus noster: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (Rom. x); non potuisset fides Christiana in hominum mentibus oriri, non audita prædicatione; nec audiri prædicatio potuisset absque prædicatore. Et quia subtilis ad fallendum et perdendum perditus angelus maximo se fraudandum lucro noverat, sicut olim se fraudatum dolebat, si aditus audiendi sermonis Dei daretur, nec dubitabat se a cordibus deceptorum expellendum, si ille admitteretur, interposuit ferreum, quem de profundo nequitiae consilio hauserat, obicem quem nullus transgredi posset. Fecit hoc ut atrium suum, proh dolor! jam magnum, in pace custodiens, securius possideret, ut qui audito verbo

A salutis salvari poterat, tali arte auditu subtracto, in æternum periret.

10. *Lites et cædes damnat Ecclesia, sed magis cædes.* — Propter hæc omnia prolatum est ab illa vestro toties nominato verbum tam solemniter execrabile: *Melior est cædes quam lis*. Et lites quidem etiam Christiana lex improbat, juxta quod præmissus noster Apostolus docet: *Servum, ait, Dei non oportet litigare* (II Tim. ii); damnat enim talium litium animosas contentiones, quæ fiunt non causa veritatis inveniendæ, sed procaçi studio propriæ sententiæ defensandæ. Improbat plane, ut dixi, Christiana sobrietas superbas ac furiosas lites, docens discipulum sapienter et modeste vel quæ proponenda sunt proponere, vel quæ objicienda sunt objicere. Non approbat tamen, ut ille vester propheta, cædes, nec dicit: *Melior est cædes quam lis*. Utrumque enim malum esse docet, utrumque damnabile esse non tacet. Sed cum utrumque ipsius iudicio improbetur, magis tamen horum alterum damnat. Non dicit: *Melior est cædes quam lis*, vel, *melior est lis quam cædes*, quia non recipit comparisonem, quod omnino malum est adjunctum rei quæ omnino bona est, vel e converso. De duobus enim bonis vel de duobus malis comparatio fieri potest, non de altero bono et altero malo, vel de altero malo et altero bono. Non igitur, ut dictum est, Apostolus noster dicit quod Mahumeth vester astruit, meliorem esse cædem quam litem, vel litem quam cædem, sed cædem longe pejorem. Et quæ mens parum, ne dicam multum rationalis, hoc verum esse non videat? disquirite universarum gentium iudicia, et quidquid usquam terrarum sol videt scrutamini utrum leges humanæ, in aliis multis diversæ, in hoc uno non conveniant, quo longe majori poena plectitur injustæ cædis reatus, quam injuriosæ litis excessus. Mirum si et leges vestræ, quas prudentes secundum carnem non ignoramus, in hac tam iustissima causa non concordant, quod natura ipsa etiam verbis tacentibus prædicat, majorem injuriam majori poena puniendam, majorem jacturam majori ultione damnandam. Quod si ita est, meliorem esse cædem quam litem falsum est; sed litem malam, cædem longe pejorem verum est. Quod si forte intellectus illius in eo quod dixit: *Nolite disputare cum legem habentibus*, nec antiquos paganos rerum quarumlibet inventores exceptit, longe deformius et diffidentius hoc ab illo scriptum est, quando etiam cum illis, quorum leges nulla divinitatis auctoritate, nulla veritatis virtute subnixæ, coram processerant, disputare ausus non est. Quid igitur restat? Deponite tantum dedecus, neque vos tam turpi nota deinceps inuri patiamini, qua putatur in tantum vos diffidere de propria secta, in tantum eam omni rationis robore destitutam, ut ne dicam sponte, sed nec provocati in publicum prodire audeatis, aut cum quolibet vel minimo contradictore disputationum manum conserere.

11. *Ex charitate loquens hortatur ut saltem au-*

diatur. — Et qualiter nobis vel orbi, partis vestrae, si qua esse posset, justitia vel veritas innotescet? qualiter vobis et vestris lux fidei Christianae infulgēbit, si nec vos vestra qualiacunque sint proponitis, nec nostra a nostris auditis? Et licet non ignoremus quod vestra vobis sufficere videantur, quod plenam vos deitatis notitiam habere credatis, quod tam nos quam omnes alios, aliarum vel alienarum legum sectatores praeter vos errare arbitremini, audite tamen quae proponenda sunt, cum pace, nec in hoc ab universarum gentium vel legum more soli dissentiat, maxime cum liberum vobis sit, disputationibus cunctis et allegationibus finitis, quaecunque dicta fuerint aut probare aut improbare, aut suscipere aut respuere. Et quia causa salutis vestrae me ad haec scribenda impulit, nec quia ignotissimi et remotissimi eratis, charitas quam, non ut erga Christianos, sed ut erga ethnicos habeo, silere me permisit, debetis et vos hanc saltem huic charitati meae vicem, ut si his quae dicenda sunt nolueritis acquiescere, saltem non recusetis audire. Non deserat et illud tenax vestrorum ista legentium vel audientium memoria, ut quia in rebus dubiis non potest agnosci quod verum est, nisi prius destruat quod falsum est, necesse mihi erit et contra vestrum legislatorem, et contra ipsius legislationem verbis materiei congruentibus agere, quia non parva veritati injuria fieret, si vel in sententiis vel in sermonibus contra justitiam relator parceret falsitati.

12. *Christianorum exemplum qui Judaeos etiam contraria praedicantes audiunt. Hac ratione reges et principes Christianae veritati adhaeserunt.* — Non igitur statim moveamini, non statim, ut sic loquar, insanatis, et ad lapides, ut supra dixi, aut gladios concurratis. Imitemini saltem in hoc nostros, qui cum frequentem cum Judaeis, quorum inter ipsos plurima multitudo subjecta moratur, sermonem conserant, et multa ac pene universa fidei Christianae contraria ab ipsis audiant, non in furiam commoventur, nec velut contra blasphemos in eorum necem insurgunt, sed audiunt patienter, respondent sapienter; neque hos ut hostes salutis suae statim perimunt, sed aequanimiter, si forte aliquando convertantur, expectant. Hunc modum et erga innumeros ipsius vestri generis ac vestrae legis captivos, quos in praелиis saepe capere solent, conservant, et sola ad proprium solum redeundi facultate subtracta, linguae libertatem non adimunt. Et ut ipsi nobis aliquid velut ex vestra parte opponamus, quod quia forte ignoratis, ipsi opponere non possent, legitur in lege Judaeorum quae et Christianorum est, sed sic a nobis intellecta ut intelligenda est, Deum praecipisse occidi blasphemos, qui aliquid ad Deum pertinens verbis vel factis impiis temerare auderent. Sed non juvat in hoc vel in modico partem vestram, quia legis illius auctorem, praeter paucos paganos, verum Deum esse nullus jam in orbe dubitat; quod vero secta vestra ex Deo non sit, omne praeter vos uni-

A versarum quae sub caelo sunt gentium genus affirmat. Justum igitur est ut quos blasphemos creditis, interim occidere differatis, quousque indubio veritatis examine cognoscatur prophetam vestrum a Deo missum, legem vestram a Deo datam fuisse, sicut ille qui blasphemos praecipit occidi, verus Deus probatur existere. Tali modo, tali consideratione, non furiosa sed sollicita, non praecipiti sed modesta, universae gentes totius orbis, reges ac principes Christi nuntios susceperunt, susceptos audierunt, et licet diu multumque conati resistere, tandem rationi, tandem perspicuae veritati; imo spiritui Dei illustranti cesserunt. Inter quos, ne nimius fiam, innumerabiles dimittens, regnum quoddam in ultimis Occidentis partibus, ac pene extra orbem constitutum, vobis propono ac regem ipsius, Ethelbertum nomine, qui pene vestro Mahumeth contemporaneus existit, in exemplum produco.

13. *Quomodo Angli fidem susceperunt.* — Britannia prius ab antiquis Britonibus regnum illud dicebatur, sed, ab Anglorum gente nomine derivato, nunc Anglia vocatur. Gens illa ante quingentos annos de partibus Saxoniae egressa, magnas illius insulae partes (nam insula est magno mari Oceano circumsepta) in bellica obtinuit, atque in ea sibi regnum constituit. Erat haec gens antiquis idololatriae erroribus adhuc irretita, et cultum Creatoris creaturae impendens, longe ab ipso sejuncta. Misertus est tandem benignus Conditor erroneae gentis, et per summum Christianorum magistrum, Romanum dico pontificem, qui Gregorius dicebatur, a morte eam eripuit, et sempiternae vitae adjunxit. Is enim divino tactus spiritu, ad evangelizandum illi genti Christi Evangelium, electos misit discipulos, in quibus primus erat vir quidam sanctus, nomine Augustinus, per quorum verba et insignia opera rex cum integra gente ad fidem Christi conversus, et Christianorum numero fideliter adjunctus est. Sed quomodo nuntios sibi missos susceperit, quid post causam adventus sui redditam eis responderit, quid egerit, qualiter se erga eos habuerit, quia ad causam de qua agitur multum, imo ex toto pertinet, audite; verba vero ipsa ex antiqua Anglorum historia excerpta haec sunt: *Eo tempore rex Ethelbertus in Cantia potentissimus erat, qui ad confinium usque Humbri fluminis, quo meridiani et septempriales populi Anglorum dirimuntur fines, imperium protenderat. Est autem ad orientalem Cantiae plagam Thanetos insula non modica, id est magnitudinis, juxta consuetudinem aestimationis Anglorum, milliarium sexcentorum, quam a continenti terra secernit fluvius Wantsumii, qui est latitudinis circiter trium stadiorum et duobus tantum in locis est transmeabilis, utrumque enim caput protendit in mare. In hac ergo applicuit servus Domini Augustinus et socii ejus viri, ut ferunt, fere quadraginta. Acceperunt autem praecipiente papa Gregorio de gente Francorum interpretes centum, mandaveruntque regi se venisse de Roma ac nuntium ferre optimum, qui*

sibi obtemperantibus æterna in cœlis gaudia et regnum sine fine cum Deo vivo et vero sine ulla dubietate promitteret. Qui hæc audiens, manere eos in illa quam audierant insula, et eis necessaria ministrari, donec videret quid eis faceret, jussit. Post dies ergo venit ad insulam rex, et residens sub divo, jussit Augustinum cum sociis ad suum ibidem advenire colloquium. Caverat enim ne in aliquam domum ad se introirent, veteri usus augurio, ne superventu suo si quid maleficæ artis habuissent, eum decipiendo superarent. At illi non dæmonica, sed divina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo portantes argenteam, et imaginem Domini Salvatoris in tabula depictam; litaniasque canentes, pro sua simul et eorum propter quos venerant salute æterno Domino supplicabant. Cumque ad jussionem regis residentes, verbum ei vitæ una cum omnibus qui aderant ejus comilibus prædicarent, respondit ille dicens: Pulchra sunt quidem verba et promissa quæ affertis; sed quia nova sunt et incerta, non his possum assensum tribuere, relictis eis quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente servavi. Verum quia de longe huc peregrini venistis, et ut ego mihi videor perspexisse, ea quæ vos vera et optima credebatis, nobis quoque communicare desiderastis, nolumus molesti esse vobis; quin potius hospitio vos benigne recipere, et quæ victui vestro sunt necessaria ministrare curabimus. Nec prohibemus quin omnes quos potestis fidei vestræ religionis prædicando societis. Dedit ergo eis mansionem in civitate Dorobernensi, quæ imperii sui totius erat metropolis, eisque, ut promiserat, cum administratione victus temporalis, licentiam quæque prædicandi non abstulit. Sic rex iste, sic innumeri alii aliarum gentium reges nuntios Christi suscipiebant, susceptos omni humanitate et honore colebant. Decet vos hoc idem facere; aut si non ex toto illos imitari disponitis, saltem si quid commodi vel salutis vobis afferunt, audire pariter et probare.

14. Cum multa ex Judaicis et Christianorum scriptis acceperit Mahumet, miratur cur non omnia. Lex Judaica et evangelica cum ex Deo sit, tota sancta est et tenenda. — Jam ad proposita sermo festinet, et primo contra pessimum hostem Dei adjutus spiritu Dei ad prælium accingatur. Sed priusquam cominus manus conserere assuetâ ratio præliandi suadeat, præmitto quod præmittendum est, quæro quod quærendum est. Ex quo ab aliquot annis lex Mahumetica de lingua Arabica in patriam, id est Latinam, meo studio translata est, mirari non desino, nec satis mirari sufficio, qua ratione propheta ille vester suo Alchoran quædam de Hebraica, quædam insuper de Christiana lege excerpta admiscuit, et cum magnum se pro viribus utriusque genti hostem exhibeat, velut Judæus aut Christianus, plurima quæ scribit legis eorum auctoritate confirmat. Si enim his quæ nostrâ sunt credit, utique in quantum credit, nullo rationabiliter resistente, nobiscum sentit. Quod si ex parte nobiscum sentit, cur non omnibus quæ nostrâ sunt assentit?

A Si acquiescit Judaicis vel Christianis scriptis ex parte, cur non acquiescit ex toto? Cur monstruosum se exhibet recipiendo ex Scripturis nostris quod vult, et rejiciendo quod non vult? Nam lego eum introducens in illo suo libro nomina vel gesta illorum, quos litteræ Hebraicæ sonant; cerno eum nominantem quos Scripturæ Christianæ memorant: De illis quæsi excerptos video, Noe, Abraham, Lot, Jacob, Joseph, Moysen, Pharaonem, David et quosdam alios; de istis Zachariam, Elizabeth, Joannem Zachariæ filium, Mariam, Jesum vel Christum Mariæ filium, Gabrielem Zachariæ vel Mariæ loquentem, Joannis exortum, Christi nativitatem ex Virgine, et quædam alia. Cum igitur, ut dixi, quædam ex jam dictis Scripturis excerpterit, cur non aut Judæus factus est cuncta Judaicâ suscipiendo; aut Christianus, Christiana ex integro volumina approbando? Cur bonam dixit legem Judaicam, quam non sequitur? cur Christianum Evangelium prædicat, quod vituperat? aut enim pravæ sunt hæc Scripturæ et abjiciendæ sunt, aut veracès et prædicandæ sunt. Nam longe alia lex est divinorum verborum quam humanorum; alia longe ratio legis divinæ quam traditionis humanæ. Nam si in quarumlibet gentium legibus quædam juste decreta sunt, sæpe tamen contigit quod contra regulam æquitatis aliqua vel forte plurima sancita sunt. At non ita prosus, non ita in lege cœlesti, nec sic in supernis oraculis, quolibet tempore, quibuslibet datis. Etsi enim ab humanis ingeniis rationabiliter ratione utentibus vera aliqua proferuntur, potest fieri ut, quia homines sunt, quandoque raro, quandoque sæpe fallantur. Unde in Psalmis, quos jam dictus propheta vester David traditos asserit, legitur: *Omnis homo mendax* (Psal. cxv). Illa autem æterna majestas quæ Deus est, a quo omnis veritas, imò qui etiam essentialiter veritas est, sicut lux in tenebras non potest mutari, sic vel sono audibili vel inspiratione intelligibili creaturis rationabilibus loquens nescit mentiri. Inde constat quod cuncta mortalibus ab ipso tradita et per eos scripturæ mandata, vera sint, certa sint, indubia sint. Ex his colligitur quod si litteræ Judaicæ vel Christianæ, imò, ut verius dicam, sensus earum a Deo ad homines processit, et ab illo ipsis traditus est, ut veraces, et velut rivus a fonte veritatis derivatus, non ex parte ut vester propheta facit, sed ex toto suscipiendæ sunt, honorandæ sunt. Cur ergo legislator vester partim has Scripturas approbat, partim reprobat, partim suscipit, partim abjicit? Nam, sicut dictum est, si divinæ sunt, non ex parte, sed ex toto suscipiendæ sunt; si divinæ non sunt, non ex parte, sed ex toto reprobandæ sunt. Aut ergo suscipiat has scripturas sicut divinas, aut serveat Alchoran suum; aut si divinas esse negaverit, auferat ea quæ inde assumpsit de Alchoran suo: imò justiore assumpto consilio, auferendo falsa quæ de falsis scripturis assumpserat, falsificet simul et auferat eorum causa ipsum totum Alchoran suum.

15. *Veterem ac novam Scripturam corruptam fuisse contendunt Mahumeti sectatores.* — Ad hæc aliquis vestrum : Libros Judaicos vel Christianos divinos fuisse non nego; sed sicut a primis auctoribus conscripti sunt. Sed novi processu temporis diversis casibus illa prima volumina perisse, ac postmodum a quibusdam Judæis Judaicos, a quibusdam Christianis Christianos reparatos fuisse, qui primorum librorum velut originalem veritatem ignorantes, tam ex variis præcedentium relationibus quam ex proprii cordis conjectura, libros qui nunc a Judæis vel Christianis habentur, prout libuit, condiderunt, ac vera falsis, falsa veris permiscentes, omnem eis veritatis constantiam abstulerunt. Hac de causa libris hujusmodi, quibus utraque gens instante tempore utitur, fidem non adhibeo, hæc de causa falsatos vel corruptos affirmo. Electa sunt tamen a Deo et tradita prophetæ nostro quæ vera esse constabat, atque ab illo scripturæ legis nostræ admista. Ista per illum legislatorem nostrum Deus inter verum falsumque discrevit, mittendo ei per tomos ea quæ ex ipsis scripturis vera esse noverat, non mittendo quæ falsa esse sciebat.

16. *Refelluntur.* — Et, o prudentes juxta carnem viri! unde istud probatur? unde probatis, inquam, quod proponitis, unde ostenditis libros prius veraces a sequentibus vel Judæis vel Christianis corruptos? Et gratias quidem Deo, quod aliquando veraces fuisse asseritis; in hac enim parte nobiscum sentitis, in hac parte Judæis concordatis. Sed ad probandum, ut dictum est, quod falsati fuerint, quam auctoritatem, quam rationem, quibus cedere compellamur, affertis? Et certe juxta legem divinam et secundum illam, quæ universarum gentium leges aut jura scripta superat, Romanam, dico, agenti probatio semper incumbit. Creditis et proponitis libros divinos Judaicos a Judæis, Christianos a Christianis processu temporis casibus variis esse corruptos; sed quia ut absentes scribenti respondere non potestis, proponam ipse mihi, nec segnius quam vos, vestra quibus innitimini volumina perscrutabor. Nullo vestrum, ut arbitror, resistente, universis scripturis vestris juxta vos sublimius et velut vertex omnium supra memoratum Alchoran vestrum existere prædicatur. Illud enim est quod de cælis a Deo missum, et non simul, sed paulatim ac per partes mense qui apud vos Ramazan dicitur, prophetæ vestro a Gabrielè traditum affirmatis. Ipsum igitur ab illo suo principio, quod est : In nomine Domini pii et misericordis, te sanctificando omnium gentium Dominum, omnium regem, omnium Deum jugiter atque suppliciter exoro, ipsum, inquam, summæ legis vestræ ex integro librum revolvite, et si aliquid de falsatis libris Judaicis aut Christianis vel a Deo vel a vestro propheta dictum eruere inde poteritis, coram proferte. Scrutamini et alios, licet longe inferioris auctoritatis, qui apud vos leguntur aut habentur libros, et aut breve aliquod verbum, aut saltem iota unum,

A corruptas a quibuslibet quolibet tempore scripturas jam dictas significans nobis proponite. Sed non sumus adeo ignari aut expertes litterarum vestrarum, nec lingua Arabica adeo se subdere potuit cognitioni Latinæ, ut aliquid earum rerum quæ ad causam assumptam pertinent, nos latere potuerit, et utrum litteræ vestræ in aliqua parte sui nostras falsatas esse contineant, nobis licuerit ignorare. Habet gens nostra plurimos in utraque lingua peritos, qui non tantum ea quæ ad religionem vel ritum vestrum pertinent, ex vestris litteris sollicite eruerunt; sed etiam quantum ad liberalia vel physica studia spectat, armariorum vestrorum intima penetrarunt. Ea de causa tam ex translatis litteris jamque Latinis, quam ex ipsis Arabicis cognoscimus, nec Alchoran vestrum, nec librum Abdæe Judæi, nec genealogiam Mahumeth, nec quælibet alia legem vel legislatorem vestrum sonantia volumina, scripturas Hebraicas vel Christianas quolibet tempore aliquo casu falsatas esse, vel in modico memorare. Cum hæc ita se habeant, cum litteras nostras vel Judæorum, ut sæpe dictum est, aliquando falsatas esse libri vestri in nulla sui parte contineant, unde hæc opinio vobis? unde fama hæc? quo auctore traditio tam falsa, imo tam nulla processit? Mirum enim et supra quam dicere possim mirum est, homines, ut supra jam scripsi, quantum ad temporalia et humana prudentes, quantum ad æterna et divina tam hebetes, ut cernere non possint non esse cuilibet traditioni credendum absque examine, non esse acquiescendum famæ vulgari absque certo et fide digno auctore. Et prorsus quidem stolidum est dubio auctori cedere; sed super omnia brutum est absque ullo auctoris nomine inani tantum stultarum plebium fama vulgata tenere. Hæc enim jam sola superesse videtur, qua omnino insulse, imo imprudenter, opinamini divinos libros prius casu perditos, postmodum falsitate veritati admista, prout novis scriptoribus libuit, reparatos.

17. Sed jam veniat traditio famosa in medium, et quibus casibus libri toties nominati perierint indubia veritate ostendat. Ac primum qualiter Judæi legem a Deo sibi datam cum prophetis et aliis coherentibus libris amiserint, ordine congruo servato declarat. Nam notum est orbi Judaica volumina multo tempore Christiana præcessisse; evangelica vero sive apostolica longe post ab evangelistis et apostolis descripta. Unde justum est ut eo ordine quo perierunt, perisse; eo ordine quo falsata dicuntur, falsata esse probentur.

18. *Quibus ineptiis probent Mahumetani legem Judaicam fuisse corruptam.* — Dimissi, aiunt, regis Persarum indulgentia a captivitate Babylonica Judæi, atque ad Palæstinam suam redire permitti, libros divinos, quos secum dum captivi tenerentur habuerunt, asino imposuerunt : et sic cum promiscua multitudinis iter aggressi sunt. Et quia, ut mos est multitudinis iter agentis, quidam velocius, quidam tar-

dius incedebant; diversisque itineris necessitatibus ad plurima distracti, nunc his, nunc illis occupabantur, asinum divinæ legis latorem incautius observaverunt. Cumque primi ab ultimis longo viæ spatio discreti negligenter incederent, brutum illud animal, rectore jam carens, utque hujusmodi animalia solent, lasciviens, relicto itinere, devia secutum est; quod paulatim procedens, et nunc per plana cursitando, nunc montana conscendendo, a suis segregatum, cum nemo sequeretur, disparuit, talique casu cum lege Dei quam ferebat, periit.

19. *Refelluntur.* — Hæccine est, o viri, fama? hæccine est traditio qua constat apud vos legem Judaicam perditam, libros propheticos amissos? Et qualiter, qualiter, inquam, persuaderi potuit circumspectis hominibus Judæos a captivitate jam dicta redeuntes, tam incuriosos, tam desides, tam devotos erga sacra sua, quæ sola, amissis aliis omnibus, eis supererant, existere potuisse? Jam enim ante septuaginta annos dum captivarentur, eversa urbe, succenso templo, arca Dei perditam, aureis, argenteis ac æreis multi ponderis vasis, quæ Deo sacrata fuerant, cum captivato populo in Babylonem translatis, nihil sacrorum suorum redeuntibus, præter legem et vasa regali dono sibi restituta supererat. Quomodo igitur aut verum, aut verisimile videri potest, homines ardentissimis animis ad patriam festinantes, et erga religionem traditam toto nisu flagrantes, legem Dei, de qua tota spes eorum pendebat, et de qua sola apud alios vel proximos vel remotos mundi populos gloriabantur, sic neglexisse, sic animali vilissimo imposuisse, sic nec uno de tot millibus saltem sequente incustoditam dimisisse? et ubi erant vel quo declinaverant ministri? ubi Levitæ? ubi qui de captivitate redierant sacerdotes? et si nobilium vel vulgarium multitudo mistim vel sparsim incedens, cui servandæ legis cura imposita non fuerat, legiferum asinum, non attendens quo diverteret, subsecuta est, aut præcessit; videtur esse consequens, ut ad id electi universi pariter alias diverterent, nec saltem unum de multo custodum numero ad servandam legem, imo, ut sic dicam, totam spem suam reliquerint? Quis enim facile equum vel jumentum quodlibet suum sic absque omni custodiæ cura negligit?

20. *Plura fuisse apud Judæos legis exemplaria.* — Sed esto (sit quod non fuit) aberraverit asinus, et in via sequens disparuerit, amiserit stultus et iners populus asinino errore legem, perdidit tali casu, imo tanto infortunio sacra illa, quæ jam dictum animal tunc ferebat volumina; nunquid nusquam in toto orbe aliud ejusdem legis volumen, vel penes Judæos, vel penes alios aliquos remanserat? An inter tot millia Judæorum, vel qui de Chaldæa ad Syriam redibant, vel qui per plures ac diversas orbis partes vel captivati vel fugati fuerant, nullus erat qui eandem legem in alio transcriptam volumine haberet? Et certe si aut divinis aut aliis veracibus historiis credere non refugitis, ante illam quæ

A a rege Chaldæorum, qui Nabuchodonosor dicebatur, de Judæis facta est, captivitatem, a regibus Assyriorum decem stirpis Judaicæ tribus in Medos et Persas aliasque orientis gentes translatae sunt. Nunquid tanta gens, imo tot populi, quibus lex illa Dei communis erat, nullos legis tam famosæ libros secum, dum transferrentur, tulerunt? Et quæ gens qualibet lege scripta vivens, uno et solo volumine contenta est? Quomodo innumeris gentibus per multiplices urbes, per vicus, per castra, per villas diffuse manentibus, multamque terrarum partem occupantibus, unum tantum legis suæ volumen sufficere posset? An non omnes ubique gentes non solum in singulis civitatibus, sed pene in singulis et modicis villis, legis cui se devoverunt, singula aut forte plurima volumina retinent? Nonne ipsi de quorum lege agitur Judæi, per totam Europam ac per alias mundi partes sub Christianis manentes, non solum milleni aut centeni, sed etiam sexageni aut quinquageni uno in loco simul habitantes, legem integram, prophetas omnes, aliosque Hebraicæ linguæ libros nobis nostrisque in Synagogis suis quotidie ostendunt, commodant, offerunt? Vix plane apud nos viginti simul morantes absque libris hujusmodi inveniuntur Judæi. Nonne simili modo et apud vos? Scrutamini in partibus illis, in quibus eos vestro dominio subjecistis, et me non falsa loqui, ut arbitror, agnosectis.

21. *Sacra volumina in omnibus urbibus conservantur.* — Fuerat et iste mos eorum, dum antequam a diversis gentium regibus captivarentur, adhuc quasdam partes Syriæ sibi a Deo concessas cum sua illa metropoli Jerusalem incolerent, ut non tantum in urbe illa, in qua sola eis Deo sacrificare licebat; sed etiam in cunctis aliis urbibus suis, et fere in universis ditionis suæ castellis et burgis tam legis quam aliorum librorum volumina conservarent. Nam nec aliter, ut ratio consulta declarat, tam profusæ legis doctrinam discere vel memoriæ tradere, maxime tanti numeri populi possent, nisi in multis ac diversis locis manentibus et multitudo librorum adesset, et multorum magistrorum solertia non deesset. Non enim fieri poterat, ut ter tantum in anno totus ille populus, Dei præcepto ad principalem urbem ad orandum et sacrificandum conveniens, paucissimis diebus, quibus ibi morabatur, lege Dei instrui, et quantalibet doctorum instantia, angustia temporis prohibente, plene posset doceri. Habebant igitur plurima loca, habebant plurimi in locis diversis manentes, integrum legis divinæ et aliorum voluminum corpus; sicque tam in illis Syriæ partibus, quam in aliis per orbem diffusis regionibus, lex Dei ab innumeris conservata perire non poterat.

22. *Saraceni ipsi plura etiam sui Alchorani exemplaria habent. Librum legis perditum non fuisse præbatur ex Esdra.* — Sed quid loquor de Hebræis? quid dico de aliis gentibus? quod leges quibus vivunt, sive a Deo traditas, sive ab ipsis inventas,

non uno in loco contineant, sed per loca aut quibus dominantur, aut in quibus morantur, diffundant? Vos, vos, inquam, convenio, Alchoran vestrum traditum, ut dicitis, a Deo Mahumeth vestro, sola Meccha ubi jacet continet? Nulla hoc Arabiæ alia civitas, nulla Ægypti, nulla Africæ, nulla orientaliū civitatum vobis subditarum, nullum earum castrum, nullus vicus, præter Meccham, Alchoran illud habet? Credo, nisi monstruose pertinaces esse velitis, et veritati notissimæ repugnare, tam vestro quam universarum gentium exemplo, concedetis Judæos nullo tempore fuisse contentos simplici Scripturarum suarum volumine, nec pro fabuloso et mendoso, imo nullo bruti animalis errore, legem Dei in illo Judæorum a Babylone reditu potuisse perire. Affluebat enim ex diversis partibus orbis, unde resumere non deerat facultas, unde rescribi ex innumeris exemplaribus posset. Quod quia rationabiliter negari non potest, procedat sermo ad sequentia, et Judæos post illum suum a Babylone reditum libris legis divinæ caruisse demonstret. Sic enim in libro Esdræ, qui de numero Judaicorum voluminum est, legitur: *Congregatus est omnis populus, quasi vir unus, ad plateam, quæ est ante portam Aquarum, et dixerunt Esdræ Scribæ, ut afferret librum legis Moysi, quam præcepit Dominus Israeli. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram omni multitudine virorum et mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi; et legit in eo in platea, quæ erat ante portam Aquarum, a mane usque ad medium diem, in conspectu virorum ac mulierum et sapientium; et aures omnis populi erant intentæ ad librum (II Esdr. viii).* Et versu interposito: *Et aperuit Esdras librum coram omni populo, et benedixit Esdras Domino Deo voce magna. Et respondit omnis populus: Amen (ibid.).* Nunquid Esdras qui de illorum numero captivorum erat, quorum, ut dictum est, incuria lex Dei, juxta vestrorum opinionem, perierat, legem falsam tam subito condiderat? cumque et ipse vir justus et sapiens in eodem volumine prædicetur, nullaque vel ipsi vel populo spes nisi in Domino tunc fuerit, quis sani capitis vel suspicari audeat ab eo legem Dei corruptam, et in totius populi conspectu ad legendum productam? Sed quia apertissime falsis diu immorandum non est, actu producantur certa indicia, quibus legis divinæ liber vel ab Esdra, vel a quolibet alio falsatus probetur, aut ridicula et insulsa a patre mendacii procedens opinio reprobetur.

25. *Si lex falsata fuisset, impossibile esset eam ab omnibus et semper recipi, nullo advertente.* — Sed iterum et iterum ad mirandum commoveor, nec satis tam prodigiosa admirari sufficio, quo Satanæ astu hominibus ratione utentibus persuaderi potuit ut aut crederent, aut putarent libros, tanto tantorum sæculorum testimonio veraces, tamque a plusquam duobus millibus annorum ubique per orbem diffusos, cujuslibet falsatoris arte potuisse corrumpi. Quid enim? nunquid etsi constaret, juxta vestram

A suspiciōnem, ab aliquibus falsariis falsatos, constaret absque veritatis examine ab orbe susceptos? Itane aliquando sensus humanus obrutus? sic ratio sepulta fuit, ut non discerneret quod susciperet? imo (quod longe amplius mirandum est!) tantæ falsitati in universis præter vos linguis et gentibus assentiret? Qualiter per mille fere annos, dum adhuc lex illa Dei, ut creditis, incorrupta maneret, a nullis præter Judæos suscepta est et falsata, usque ad ultimos mundi terminos per universos populos diffusa est? Sed quæ in voluminibus illis falsitas notari potuit? in quibus suis partibus? in quibus versibus primus legis illius liber qui Genesis vocatur, veritate mutata, falsitate admista corruptus apparet? in quibus B. Exodus? in quibus Leviticus? in quibus liber Numeri? in quibus Deuteronomium? nam in his quinque summa Judaicæ legis consistit. In quibus falsati apparent Jesu Nave, Judicum et Ruth libri, qui prioribus quinque adjuncti, Græco sermone Heptaticus vocantur? An forte in historica relatione? an in legislatione? Si de historia, hoc est de rebus gestis ab ipsa cœli et terræ creatione usque ad eorundem librorum finem quæstio est, nonne pene omnia, ut tibi leguntur, Mahumeth in Alchorano suo Deum sibi fingens loquentem fatetur? Hoc de cœli et terræ creatione, hoc de Adam et Evæ, de paradiso, de nemore paradisi, de arbore prohibita et serpente, de expulsionem a paradiso Adam et Evæ, de Cain et Abel, de Noe et arca, de diluvio, de Abraham et C. Jacob, de Joseph, de Moyse et Aaron, de Pharaone et Ægyptiis, de Israel et maris Rubri transitu, de prolixa illius populi per deserta peregrinatione, de terra Chanaan Israeli promissa et tradita, ac ut dictum est, pene de omnibus quæ libri illi referunt, licet multis subtractis, multis mutatis, multo insuper aggere mendaciorum admisto, illo suo barbarico et prodigioso loquendi more plurima narrat, si de legislatione per Moysen, et inde similiter multa subtrahens quædam memorat. Cumque ex plurima parte Hebraicorum voluminum veritati attestetur, nec, ut supradixi, vel in modica sui parte falsata dicat, unde vobis hæc innasci potuit opinio, quam non accepistis a magistro? longe rectius, longe rationabilius hæc cogitare potuistis, hæc loqui debuistis. Etsi nobis notæ sunt Hebraicæ vel Christianæ Scripturæ, tamen ex hoc conjicimus veraces esse, quia plurima, ut ibi scripta sunt, in lege nobis tradita propheta vester approbat, nulla vero vel ibi vel alibi improbat ex his omnibus quæ supra scripsi; nec perditos, nec falsatos Hebraicos libros fuisse, aut necessario aut probabili argumento concludo. Si quædam, ut apud Judæos scripta sunt, velut divino ad se facto responso, suæ vestræque legi Mahumeth inserit, nec reliqua vel perdita vel falsata astruit, nec vestrum aliquis quod de perditis vel falsatis eisdem Scripturis vel suspicamini vel proponitis, probare potest: constat eas absque quolibet vel minimo mendacii nævo, sicut a primis suis

auctoribus editæ sunt, firmissimam summamque, ut divinas veritates, arcem tenere. Sed nec in Alchoran vestro, nec in aliis quibuslibet sectæ vestræ quidquam de his legitur; nihil aliunde a vobis unde probari possit Judaicos libros aut perditos aut falsatos affertur.

24. *Si lex falsa est, Alchoranum rejicere necesse est, plura ex lege continentem.* — Clarum est ergo, falsis objectionibus ac suspicionibus longe rejectis, sæpe dictas Scripturas non partim, sed ex toto esse veraces. Certum est, nullo jam resistere prævalente, esse divinas. Iis ita se habentibus, addo quod supra jam tetigi, necessario vos aut Scripturas Hebraicas ex integro suscipere, aut Alchoran abjicere. Cum enim, ut jam dixi, multa in illo volumine sicut in Judaicis libris habeantur, si falsati dicuntur, quæ aut inde sumpta, aut sicut ibi posita sunt, falsa omnino vel dubia esse probantur. Quod si falsa vel dubia in illa vestra lege scripta sunt, cuncta prorsus quæ liber ille continet, aut falsa aut dubia sunt; nam nec ex falsatis libris aliquid potuit sumi nisi falsum et dubium; nec sicut ibi aliquid poni nisi falsum aut dubium. Sed constat, ut sæpe dictum est, plurima aut inde sumpta, aut quantum ad sensum pertinet, sicut ibi leguntur, in Alchorano posita. Constat igitur hac ratione legem illam, illam, inquam, legem vestram, quam de coelis missam gloriari soletis, non solum ex parte, sed totam ex integro falsam vel dubiam. Quod si falsum vel dubium Alchoran vestrum vel dicere vel credere refugitis, urgente vos undique certa quæ nec fallit, nec fallitur veritate, fateri cogemini libros illos, unde a Mahumeth vestro plurima vel sumpta, vel quantum ad sententiam, sicut ibi leguntur, legi vestræ inserta sunt, non ex parte, sed ex toto veraces; non ex parte, sed ex toto divinos.

25. *Christianorum libri etiam sunt admittendi.* — Hoc concessio, non solum Judaica volumina absque ulla mendacii nota ut divina suscipietis, sed hac eadem per omnia ratione etiam Christianos libros pariter admittetis; nam et de illis, ut supra memoravi, plurima eidem legi vestræ a jam dicto vestro legifero admista sunt, et penè toti illius voluminis corpori ipsius inserta: quæ si, ut ex falsatis libris assumpta, reprobanda sunt cum eis modo quo supra, et omnia illa, quibus adjuncta fuerant, condemnanda sunt. Quod si et istud vitatis, simili in eadem qua prius rationis connectione libris Christianis eandem quam Judaicis auctoritatem conferetis. Et licet hoc negari non possit, licet brevi compendio Christianos libros veraces et divinos esse claruerit, veniat tamen et in medium procedat opinio, qua et ipsi perdit, quæ falsati a vestris aut omnibus, aut quibusdam traduntur.

26. *Mahumetanorum deliramenta de perditis et falsatis Christianorum libris.* — Romanorum, inquiunt, principum tempore, qui acriter Christianos exsiliis, proscriptionibus diversisque mortium generibus diutissime persecuti sunt; qui et ipsa eorum volumina

edictis publicis exuri ubique jusserunt, tam Evangelia quam apostolorum Actus vel Epistolæ perierunt. Rescripti vero postmodum sunt ac reparati, ut Christianis libuit, qui longa annorum serie interposita illis succedentes, nec a primis librorum auctoribus utique quidquam acceperant, nec libros ab ipsis conditos, utpote prius, sicut dictum, succensos, viderant.

27. *Refutantur, ac primo non perditos fuisse demonstratur.* — Et hoc est totum? hoc est, inquam, totum quod prætenditis, hoc est totum ac solum unde evangelica vel apostolica scripta perisse, unde falsata esse asseritis? si hoc est totum, eadem qua supra contra vos via incedo, eodem respondendi modo quæ proponitis nullarum virium, imo prorsus enervia esse ostendo. Fateor quidem Romanos principes, qui toti Europæ, qui toti Africæ, qui maximis Asiæ partibus cum adjacentibus, vel in Oceano vel in Tyrrheno mari insulis dominabantur, trecentis annis pene continue Christianos ubique jam diffusos nunc acrius nunc remissius persecutos esse. Fateor quemdam ex ultimis persecutoribus, qui et Diocletianus vocabatur, qui et ferocius et diuturnius aliis eos aggressus est, publico sanxisse edicto ut per universas sibi subditas regiones ipsa paschali sacratissima die Christianorum ecclesiæ subverterentur, librique incenderentur. Hoc certe, ut dixi, velut pro parte vestra favens fateor. Sed in quo istud pro vobis? Et si edictum hoc ab illo principe per imperii Romani amplitudinem promulgatum est, si ex parte vel fortassis ex toto, quantum ad ecclesiarum eversiones spectat, impletum sit, et hi qui inventi sunt libri combusti sunt, nunquid uno illo casu Christianorum universa volumina perierunt? An nemo in tot tantisque populis per maximum illud imperium diffusis exstitit, qui audito regio edicto, aliquos ex tam innumeris libris absconderet, nemo qui igni subduceret, nemo qui servaret? Et certe, quod probari ex historiis veracibus potest, vix in tam famoso et diffuso regno, vix erat civitas, vix municipium, vix villæ aliquæ, quæ non haberent Christianorum multitudinem admistam paganis. Inter quos per urbes singulas episcopi, presbyteri, diaconi, clerique non immodicus numerus Christianis populis præsidebant, et sacros Christianæ legis libros cum aliis sibi creditis coelestibus sacris ac sacramentis summa et singulari cura servabant. Itane ergo omne propositum Christianæ religionis in eis perierat? Itane amor divinorum sacrorum in eis defecerat, ut cum corpora sua ignibus, gladiis, omnisque generis mortibus pro servanda lege Dei exponerent, ipsam legem Dei pro qua mori non differebant, sic universaliter negligerent? Et quid de Persis ac Medis? quid de Æthiopicis et Indis? quid de ipsa vestra Arabia? quid de aliis regnis quæ sibi Romana [respublica] subjugare non potuit dicitis? nam cum in omnem jam terram, discipulis Christi ubique clamantibus, sonus evangelicæ prædicationis exisset, nullumque penè orbis

angulum Christianis per omnes gentium linguas diffusis lateret, perierunt vel perdita sunt etiam apud illos Christiana volumina? periit Evangelium? perierunt apostolica scripta? nullusne populus, nullæ linguæ, nulla Christianorum regio Christianos libros sicut a primis suis prædicatoribus acceperat, ne possent perire, servavit? Sed servatum est, servatum est plane ab innumeris gentibus Christianis ut ab evangelistis traditum est Evangelium, servata per successiones certissimas apostolica scripta, et usque ad tempora nostra transmissa. Et ut de remotioribus minusque nobis cognitis mundi partibus taceam, habet Latina Ecclesia a Petro, habet Græca a Paulo, habet Europa tota ab utroque sibi tradita Evangelia, sibi commissa apostolica scripta. Hi cum summi et præcipui in discipulis Christi fuerint, alter edoctus ab illo corporaliter, alter invisibiliter, incipientes a Jerosolymis usque ad ultimos Occidentis terminos, aliquando simul, aliquando separatim, nunc per se, nunc per suos Evangelium Christi verbo prædicaverunt, scriptumque posteris tradiderunt. Petrus Evangelium Marci quod ipse probaverat; Paulus Evangelium Lucæ, quod ille in partibus Græciæ scripserat. Nec defuit Joannes, alter ex discipulis Christi, ab eo dum adhuc cum hominibus moraretur electus et doctus. suum quod scripserat Evangelium minoris Asiæ Christianis populis tradens. Sed nec Matthæi quod prior scripserat Evangelium cismarinis partibus et populis a jam dictis apostolis traditum perire potuit. quod festinanter ubique transcriptum atque diffusum, multorum populorum solertia conservavit. Hæc sibi ab apostolis jam dictis mox et sicut scripta fuerant tradita, præter innumeras alias, omnium mundi Ecclesiarum Romana Ecclesia caput per succedentes nobisque ex scriptis notissimos apostolicos pontifices, a Petro incipiens usque ad hæc nostra tempora, custodivit, falsumque prorsus et inane esse quod perisse a vestris aut creduntur aut dicuntur, ostendit. Sic et de apostolicis scriptis: a Luca jam dicto apostolorum Actus, a Petro Epistolæ duæ, a Joanne tres cum Apocalypsi sua, a Paulo partim de Italia, partim de Græcia scribente, Ecclesiisque per diversas urbes mittente Epistolæ quatuordecim, primis in Christum credentibus traditæ sunt, et tam in Romana quam in cæteris urbibus per sibi succedentes fidelium generationes usque ad nos summo, ut dictum est, studio conservatæ. Restant de novo Christianorum canone duorum apostolorum Jacobi et Judæ Epistolæ duæ, hæc est una Jacobi et alia Judæ. Hæc licet in Asia majore scriptæ, cum oriente vestro nostrum quoque occidentem eodem pene tempore penetrarunt, aliisque statim adjunctæ ab eisdem quos nominavi, eo quo cætera studio sunt conservatæ. Inde ad manus nostras cunctorumque fidelium nunc viventium devenerunt, servandæ a nobis ac posteris nostris, quandiu cælum imminet terræ.

28. *Sed neque corruptos.* — His ita præmissis,

A quid restat? quid restat plane nisi hoc? necesse est eos qui ex vestris credunt vel opinantur libros Christianos perisse, aut certa ratione ostendere perditos, aut cedentes præmissis tam probabilibus causis, fateri a Christianis esse servatos. Jam si constat quod non perierint, constat quod nec falsati fuerint. Cum enim sicut ipso frequenter quotidiano usu experimur, etiam a paucis condictum secreti-cujuslibet mysterium, levitate humana impellente, diu tectum manere nequeat, verumque sit proverbium Gallorum nostrorum: *Quod sciunt duo, sciunt omnes*, qua arte, quomodo libri per orbem diffusi, tantaque tantorum, ut dictum est, solertia conservati, falsari potuerunt? An totus simul Christianus orbis tam profanæ falsificationi assensit? An corrumpi sic universaliter libros suos Christiana ubique sapientia passa est? nullusne ex tantis Christicolorum populis, primis librorum suorum corruptoribus restitit? Si enim corrupti sunt, primo ab uno, sive a paucis, vel forte a multis sibi invicem consentientibus corrupti sunt. Nam quomodo id aliter fieri potuisset, nisi corruptio hæc a paucis cœpisset? Cœpit ergo corruptio hæc a paucis, quia nec aliter, ut dixi, subripere potuisset, vel fortassis a pluribus, sed nunquid a totius orbis populis? Nunquid simul universi, aut libros quos acceperunt corruerunt, aut corruptoribus primis cesserunt? Itane omnes aut per se falsando, aut falsatoribus subito vel paulatim cedendo, æternam salutem suam, quam soli illi libri prædicant, prodiderunt? An posset fama tam generalis falsitatis occultari, cum, ut præmissum est, vix aliqua secreta etiam a paucis, interpositis ipsis fideli sacramentis, possint celari? An forte et totus mundus tunc falsitati assensit, et totus nunc nec tenuem famam tam universalis falsificationis accepit? Omnia plane monstra, cuncta portenta exsuperat orbem terrarum libros suos corrupisse, et corruptos nescisse. Sed forte hoc ad solos Saracenos pervenit, et ad solos Christianos pervenire non potuit. Fortassis alienorum librorum vel perditio vel corruptio eis patuit, quæ tantis temporibus Christianos latuit. Aliena Saracenis nota sunt, propria Christianis ignota sunt. Sed quid ultra? quid ultra vel inanissimis nugis vel nugacibus hominibus respondendum est? Quod sine tegmine frivolum et falsum cernitur, quid tantopere stylus persequitur? Claudat modo quo supra ea quæ præmissa sunt ratio, nec enervia velut fortia diutius insectetur. Aut proba quicunque hoc adstruis vel opinaris, certis rationibus libros Christianos falsatos, aut si non habes quid e converso afferas, crede veraces, crede divinos: nam nec universaliter potuere falsari, Christianorum nemine reclamante, nec si falsati essent, latere potuisset Christianos omnes in orbe, quod, quantum ad infinitos Christiani nominis populos, factum esset ab orbe.

29. *Saraceni non possunt Evangelium falsificare, nisi falsificent et Alchoranum.* — His quæ de Hebraicis libris jam dixi, adjungo non posse vos fal-

sare Evangelium nostrum, nisi pariter falsificetis et Alchoran vestrum. Nam si falsum est Evangelium, illa quæ ut in Evangelio leguntur, si in Alchorano habentur, falsa vel dubia sunt. Quod si illa falsa vel dubia sunt, et totus liber cui illa admiscuntur falsus vel dubius est, clarum est enim quia de libro falsato nihil assumi potuit, nisi falsum aut dubium. Quod si legem illam vestram falsam aut dubiam credere vel dicere nefas putatis, Evangelium vel evangelicas Scripturas veraces esse et divinas, ratione cogente, inviti sive spontanei affirmatis. Affirmatis verò, si admistas vestro Alchorano evangelicas sententias veras esse dicitis. Nam, ut sæpe jam dictum est, aut reprobatis ipsis, liber cui insertæ sunt reprobatur; aut approbatis, pariter approbatur. Hac ratione cogimur eos et credere et fateri Hebraicos, ut præmissum est, libros cum nostris, id est Christianis, esse veraces pariter et divinos: veraces, quia jam claret eos nævo mendacii expurgatos; divinos, quia, teste legislatore vestro, et lex Hebraica Moysi data est, et Evangelium Christo a Deo traditum est. Hac consequentia necesse est vos, quantum ad divinum canonem spectat, prorsus ut Hebræos, Hebraicos libros suscipere, et ut Christianos evangelica sive apostolica volumina probare. Ea de causa vos præmonitos et præmunitos esse denuntio, quod ubi in processu propositi operis et sermonis opportunum fuerit, ex his quæ jam necessario ut divina tenetis vos aggrediar, et sicut

A ex concessis fieri ratio disputandi suadet, falsitatem, qua, exceptis Judæis, præ cunctis mortalibus irretiti et obruti estis, ut potero, impugnabo, et scuto veritatis protectus, Deo juvante, pro viribus expugnabo. Sed quia evangelica et apostolica scripta nostra dixi, Judæorum vero volumina nostra esse non scripsi, nemo vestrum æstimet Hebraicos libros Christianos non esse, quia non minus suscipit Christianus legem Moysi vel prophetas, quam Evangelium aut apostolorum Gesta vel Epistolas. Ab eodem enim Deo, cunctarum rerum visibilium et invisibilium conditore, utriusque gentis canonicas Scripturas, diversis temporibus utrisque populis traditas, Christianus et corde credit ad justitiam, et ore confitetur ad salutem. Et licet hi inter se valde dissideant, suscipit tamen Christiana universitas intellectu quo debet Judaica scripta, et ea, ut maximum robur ac fidei nostræ fundamentum, honorat. Hæc interim dicta sint, ad probandum, o Saraceni, ex ipsa lege vestra cui creditis, Litteras Hebraicas aut Christianas veraces esse ac divinas, nec earum veritati obviare posse humana figmenta, quas non solum veritas invicta commendat, sed et ipse qualiscunque legislator vester sacras esse modo quem præmissi confirmat. Quod autem sæpedicta lex vestra omni prorsus veritate destituatur, ipseque ille, plane ille nec propheta fuerit, nec Dei nuntius, sed seductor et profanus sequentia declarabunt.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

1. *Ismaelitas hortatur ad audiendum quæ dicturus est.* — Jam quia, o Ismaelitæ, præmissis quæ præmittenda erant, contra summum religionis vestræ robur agendum est, continete, ut præmonui, gladios, seponite lapides, aperite aures, et si quid prudentiæ saltem humanæ in vobis est, deposito pertinaci ac puerili vincendi studio, intentis animis quæ sequuntur audite. Utile poterit hoc esse vobis, et si gratia Dei vestri misereri voluerit, summe necessarium ut intente scrutemini, sollicitè perquiratis, perquirendo advertatis, cui vos ipsos, cui salutem vestram, non dico tantum hanc fugacem et transitoriam, sed illam quæ huic succedit æternam; cui, inquam, corpora et animas vestras credideritis, nisi forte, juxta famosum prophetam Isaiam, sit mendacium in manu vestra, ne forte pro veritate falsitatem, pro justitia iniquitatem, pro cultu divino diabolicum sacrilegium teneatis. Dicit ille loquens de idololatriis: *Nescierunt, neque intellexerunt. Obliti sunt enim, ne videant oculi eorum, et ne intelligant corde suo. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt neque sentiunt, ut dicant: Medietatem ejus, hoc est arboris, combussi igni, et coxi*

C *super carbones ejus, panes: coxi carnes et comedi, et de reliquo ejus idolum faciam? Ante truncum ligni procidam? Pars ejus cinis est. Cor incipiens adoravit illud, et non liberavit animam suam, neque dixit: Forte mendacium est in dextra mea. Memento horum, Jacob et Israel, quoniam servus meus es tu (Isa. XLIV). Potest hoc idem et vobis contigisse. Idololatræ quidem, ut audivi, non estis, nec ligna, vel lapides, aut hujusmodi talia adoratis, sed quid? quid, inquam? quid? Quid prodest vobis creaturam pro Creatore non suscipere, si non datur Deum, ut se coli et vult et præcipit, colere? Scrutamini ergo, nec longævo jam errore imbuti scrutari dedignemini, utrum quod hactenus credidistis falsum sit, quod huc usque falsum putastis verum sit. Sapientum est, etiam si pudeat, emendare errata; stultorum est fatuo pudore non corrigere etiam ab orbe damnata, et ut pertinacem et perdentem vos verecundiam, si datum fuerit, erroneæ saltem multitudinis contemplatione, a vestris cordibus abigatis, ne solos vos errasse suspicemini, propono tam de alienis quam de nostris exempla, qui multiplicibus errorum monstris, ut a via veritatis recederent, ab*

hoste pulsati non cesserunt, imo innumeris per devia errantibus et pereuntibus, soli a præostenso re-ctæ fidei tramite non recesserunt.

2. *Multis exemplis ostendit eos potuisse falli.* — Videte, disquirite sollicitè præterita sæcula, et quot, quantis, quam multiplicibus errorum laqueis ab ipso primo mortalium parente, angelo apostata, qui Satanas dicitur, instigante, usque ad hæc vestra tempora genus humanum implicitum fuerit, si sapitis attendite. Ultus est Deus in sceleratos, qui tempore patriarchæ Noe fuerant, ut etiam Alchoran vestrum fatetur, et totam illam progeniem, quæ a cultu divino recesserat, terramque universam non tolerandam iniquitate repleverat, ultricibus undis exstinxit. Successit dehinc, exsiccatis terris doneque divino securitate reddita, soboles priorum nequitiæ præcedentibus non inferior; et, cultu divino abjecto, imo ut verius loquar, nec cognito, Creatoris honorem creaturæ contulit, indeque ad idololatricam progressa, tam religione profana quam vita nefanda, iniquitatum cumulis terræ superficiem universam respersit. Excepti sunt paucissimi justi, sola Dei gratia ab universali perditorum massa discreti, et sic rara luce in densis et ubique diffusis impiorum tenebris lucente, princeps tenebrarum orbem totum juxta Evangelium, quod Christo nostro datum Mahumeth vester scripsit, heu! usque ad Moysi tempora, ut atrium suum diuturna et mortifera pace possedit. Illustrata est dehinc lege divina per jam dictum prophetam Moysen, una et sola de cunctis gentibus a Deo electa gens, et omnibus aliis in erroris jam antiqui tenebris relictis, præceptis a Deo datis et per ipsum promulgatis, subjecta est et ab impiorum communi perditione sejuncta. Non destitit tamen profanus et pertinax hostis, etiam post legem datam gentem illam a cultu divino avertere, et damnatæ ac relictæ idolatriæ nequitiisque nefandis et actibus exsecrandis gentilium artibus dolosis tentando, illiciendo, seducendo rursus adjungere. Miserta est tandem per-euntis hominis benigna deitas, et ad auxilium miserorum Veritas orta de terra, hoc est Christus de Virgine natus, processit, et cœlesti lumine suo tenebris paulatim discussis, orbem perfundens, Evangelium regni æterni, cujus ipse, ut suo loco probabitur, rex erat, ubique diffudit. Cernitis in gentes universas diffusum Evangelium ejus, et fidem Christi in cordibus universorum, Judæis ex toto et vobis ex parte exceptis, fervere. Non defuerunt tamen nomini Christiano multiplices exorti in cordibus Christianorum errores, quos verax et veritatis sequax Ecclesia Dei statim ut sensit repulit, statim ut advertit damnavit. Ad quid istud in hoc hujus libri principio? ut sicut dicere cœperam, cogitatis et recogitatis non solum illos, quos præmisi, paganos, non solum Judæos, non solum Christianos hæreticos, sed etiam vos potuisse falli, potuisse decipi, potuisse tenebras pro luce, falsum pro vero, seductorem pro propheta, et, ut Judæi circa

A mundi finem facturi sunt, Antichristum pro Christo suscipere. Et ne ultra res differatur, jam non eminus jacula emittenda, sed cominus manus conserendæ sunt, cum pace tamen, ut supra dixi, non cum furore; cum ratione, non cum insania; cum æquitate, non cum iniquitate, ne forte non videamur veritatis amore investigare quod verum est, sed studio partium defensare quod falsum est.

5. *Illorum somnia de modo acceptæ a Deo suæ legis.* — Dixi superiori et proximo libro: Invito vos ad salutem non quæ transit, sed quæ permanet; non quæ finitur cum vita brevi, sed quæ permanet in vitam æternam. Hanc consequi, hæc tempore a Deo præstituto frui mortalibus quidem datum est, sed non nisi illis qui de Deo quod est, non quod non est sentiunt; qui eum, non juxta cordis sui phantasmata, sed sicut ipse se colit et vult et præcipit, colunt. Ad ista vos respondistis: Absit ut aliter sentiat intellectus noster! Absit ut aliter se habeat professio nostra! Nos nihil de Deo somnavimus, nihil prorsus confinximus, sentimus de ipso, fatemur de ipso, non juxta figmenta cordis nostri, sed juxta quod tradidit nobis missus ab ipso propheta noster. Ille cum sit ordine ultimus in prophetis et velut signaculum omnium prophetarum, et legis divinæ non auctor, sed lator, non Dominus, sed nuntius, mandata cœlestia, a Deo per Gabrielem sibi missa, nihil plus minusve continentia accepit, accepta patribus nostris nobisque servanda tradidit; hæc servamus, hæc custodimus, his animas, his corpora, his vitam mortemque nostram dicavimus.

4. *Mahumet non posse dici prophetam. Prophetia quid sit. Moysen vere fuisse prophetam.* — Audite ergo, quia jam tempus est, cui animas vestras, cui corpora, cui mortemque vestram dicastis; attendite, si tuto in loco spem vestram constituistis, si doctrinæ salubri, si vero prophetæ Dei et nuntio credidistis. Prophetam eum vocatis, nuntium Dei dicitis. Concedimus quod vero Dei prophetæ credendum est, quod vero Dei nuntio acquiescendum est; sed videatur, ut dixi, utrum vere Dei propheta fuerit, utrum vere nuntius Dei sit. Ad quod advertendum, quid prophetia sit, quid dicatur videte. Ait primus et summus in apostolis Christi apostolus Petrus, cujus nomen cum toti orbi notum sit, vos ignorare non credimus, cujus ex parte vitam, cujus mortem, cujus in orbis capite quæ Roma vocatur sepulcrum, ut arbitror, non ignoratis. *Non voluntate, inquit, humana allatæ est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines (II Petr. 1).* Ex his illius apostoli verbis sic recte vel describere vel definire prophetiam possumus: *Prophetia est rerum ignotarum aut de præteritis aut de præsentibus aut de futuris non humana inventione, sed divina inspiratione facta prolatio.* Sed nominis etymologia magis ad futura respicit, quam ad præterita vel præsentia: quia tamen

eadem virtute divina qua revelantur futura, nota quandoque fiunt et præterita et præsentia, horum etiam duorum temporum revelatio vocatur prophetia. Ex prophetiæ definitione et prophetam possumus diffinire : *Propheta est qui res ignotas aut præteriti temporis aut præsentis vel futuri, non humana cognitione edoctus, sed spiritu Dei inspiratus, mortalibus manifestat.* Prophetiam præteriti temporis retexuit Moyses, quando dixit in principio creasse Deum cælum et terram, creasse lumen, fecisse cælum firmamentum, et illud medium posuisse inter aquas superiores et inferiores, produxisse ex terra herbam virentem, et proferentem semen, et lignum pomiferum faciens fructum; fecisse solem, lunam ac reliqua astra, tam ex aquis pisces et volatilia quam ex terra quadrupedia et reptilia produxisse; creasse tandem hominem ad imaginem et similitudinem suam, ac dedisse ei comparem similem. Hæc verba prophetica fuerunt; non de præsentis vel futuro tempore, sed de præterito, quæ propter hoc maxime se probant esse prophetica, quia, ut quidam magnus de nostris ait : *De illo tempore locutus est homo, quando non erat homo.* Probatur idem ex præsentis temporis prophetia esse propheta, sicut legitur in uno ex quinque libris Moysi qui Numeri dicitur. Absorptis enim ultione divina maximo hiatu terræ rebellibus Moysi, Core, Dathan et Abiron, cum tabernaculis suis et universa substantia, eaque de causa murmurantibus contra ipsum Judæis, eumque occidere molientibus, fugit ille ad tabernaculum Domini. Cumque jaceret coram Deo prostratus in terra, dixit ad Aaron fratrem suum, summum tunc Dei pontificem : *Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis. Jam enim egressa est ira a Domino et plaga desævit (Num. xvi).* Præsentis ergo temporis prophetia tunc ejus spiritus illustratus est, quando in tabernaculo Dei prostratus jacens, quid in remota et diffusa multitudine ageretur agnovit. Statimque sequitur eadem Scriptura : *Quod cum fecisset Aaron, et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama, et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit, fuerunt autem qui percussi sunt quatuordecim millia hominum et septingenti absque his qui perierant in seditione Core (ibid.).* Hoc idem, ut dixi, de præsentis tempore est prophetia. De futuro autem tempore quis ex facili ejus prophetica verba enumeret? Præscivit et prædixit, indicante sibi Deo, decem famosis plagis Ægyptum percussendam, non simul, sed separatim; non una die, sed pluribus et diversis diebus; nunc per aquas versas in sanguinem, nunc per ranas implentes omnia, nunc per sciniphes, nunc per muscas diversi generis, nunc per gravissimam animalium pestem, nunc per pulverem Ægyptum operientem, nunc per grandinem igni mistam, nunc per locustam operientem superficiem terræ, nunc per tenebras

A horribiles et palpabiles, nunc per mortes primogenitorum, quando in tota terra Ægypti non erat domus, in qua non esset mortuus. Secuta est maxima et ultima, dans cunctis plagis præcedentibus finem, plaga, hoc est Pharaonis ipsius in mare submersio, et totius exercitus ejus, nullo evadente, perditio. Præscivit et prædixit jam dictorum rebellium terribilem interitum, præscivit et prædixit prophetam a Deo in Israel suscitandum, quem qui non audiret exterminaretur de populo suo; præscivit et prædixit quamplurima alia per totum Pentateuchum suum, hoc est per quinque quos supra nominavi libros suis in locis digesta. Hæc universa singillatim antequam fierent prophetico spiritu plenus Moyses jam dictus prædixit, seque vere prophetam Dei esse ipsis verborum effectibus declaravit. Hoc idem ante ipsum quidam, ut Enoch, Noë, Jacob et Joseph : post ipsum plurimi, ut Samuel, David, Isaias, Elias, Eliseus, Jeremias, multique alii orbi notissimi.

5. *Mahumetum non posse dici prophetam.* — At Mahumeth vester, o Agareni, unde propheta a vobis probabitur? An quia quæ erant prius ignota mortalibus revelavit præterita? An quia quæ alios latebant indicavit præsentia? An quia quamlibet parva et vilia præsentit et prædixit futura? Unde hoc, inquam, ei ut propheta dicatur? An quia ipse sæpe in Alchorano suo se prophetam nominat? Si prophetam se nominat, ostendat quid propheticum dixerit, quid propheticum fecerit. Ostendite et vos ipsi mihi, qui eum prophetam creditis, qui eum prophetam dicitis, unde propheta præteritorum, unde propheta præsentium, unde propheta rerum futurarum appareat. Revolvite sæpe nominatum Alchoran vestrum, scrutamini totum textum illius vestræ cœlestis, ut putatis, scripturæ. Relegite ac recensete ab illius libri prima Azoara, hoc est oraculo, quod intitulatur *De bove, octoginta quinque verborum*, ac transitum facientes per Azoaram *De gente Joachim, ducentorum verborum*, ac per alias per totum nefandi illius operis corpus diffusas usque ad Azoaram centesimam vigesimam tertiam, quæ in ultimo posita libro, illi finem imponit, cursum celerem continuate; probate, ex jam dicta illa vestra sublimi scriptura, eum saltem unum et solum verbum propheticum protulisse. Et ubi magis, si propheta fuit, eum se ostendere prophetam decuit, quam in libro cœlitus, ut scribit, per tomios allato, sibique a Deo per Gabrielem transmissio? Ubi se magis ostendere prophetam debuit, quam in libro cui super omnia inhæretis, cui totam fidei vestræ summam credidistis, cui salutem vestram, cui, ut supra scripsi, corpora vestra et animas devovistis? Quæ causa esse potest, ut Deus eum prophetam nominet, et a Deo, ut dicit, propheta vocatus, nulla prophetica prædicet? Quis unquam præcedentium prophetarum a Deo propheta dictus est, ipse tamen nulla prophetica locutus est? Non sic Moyses, ut supra dixi, noster; non sic Isaias, cujus pene totus

liber nil nisi propheticum sonat, nil nisi aut de proximo, aut de longinquo ventura prænuntiat.

6. *Isaias vere propheta fuit.*— De proximo, sicut illud quod regi Judæorum Ezechiæ ægrotanti, ac jam de vita desperanti ait : *Hæc, inquit, dicit Dominus : Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos, et de manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam, et protegam eam (Isa. xxxviii).* Quod et factum est, nam et sospitati redditus, annis postea quindecim supervixit, et de manu regis Assyriorum erutus est, tam ipse quam regia civitas ejus Jerusalem, interficiente Deo sub unius nocturnæ horæ spatio de regis blasphemi exercitu centum octoginta quinque millia, et a Deo protectus est, nullo regum, nulla gentium adversus eum toto vitæ ipsius tempore prævalente. Sic et pro quibusdam aliis ab eo prædictis et proxime expletis, Dei propheta fuisse probatus est. De longinquo sicut Babylonis a Persis et Medis facta et ab ipso prædicta vastatio, sicut soluta a rege facta ante annos septuaginta a rege Chaldæo captivitas : cujus etiam Cyri nomen subtili prophetiæ oculo ante annos fere trecentos et præscivit et prædixit, sicut post multa tempora jam dictæ Babylonis omnimodam, ut nunc cernitur, destructionem, quam et in solitudinem redigendam, et pro hominibus monstruosorum animalium et venenatorum serpentium habitaculum futuram non tacuit. Rursum de longinquo Christi nativitatem, cum dixit : *Ecce Virgo concipiet et pariet filium (Isa. vii)*, quod verum esse ipsi quoque affirmatis. Baptismum salutare quod ab ipso traditum est Judæis et gentibus, cum Deum introducens loquentem ait : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus iniquitamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos (Ezech. xxxvi)* ; Christi miracula cum ait : *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut servus claudus, et aperta erit lingua mutorum (Isa. xxxv)*. Christi passionem ubi dicit : *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et tradidit in mortem animam suam ; et cum sceleratis reputatus est (Isa. liii)*. Et quid his plura de tanto propheta eloquar ? Quæcumque de Christo, quæcumque de Christianorum sacramentis, quæcumque de Judæorum reprobatione et gentium vocatione, quæcumque de statu post ipsum præsentis Ecclesiæ et fide futuri provenisse cernitur tam clare spiritu Dei illustratus prædixit, ut, juxta cujusdam sapientis olim verba, magis videatur præterita texere quam futura prædicere.

7. *De Jeremia.*— Sic post Isaiam et Jeremias, cui postquam a Deo dictum est : *Prophetam in gentibus dedi te (Jer. i)*, prophetam Dei se vere esse multis non tantum post mortem, sed etiam dum adhuc viveret, indiciis declaravit. Post mortem ex septuaginta annorum numero, quo toto tempore, ut jam dictum est, Judæi Babylonica captivitate detenti sunt, cujus captivitatis relaxatio, ut supra scripsi, ab Isaia prædicta est, sed numerus annorum

ab eo expressus non est ; quem quia a solo Jeremia expressum, ac post mortem ejus impletum, et legitimus et scimus, prophético cum hoc spiritu prædixisse, indeque vere eum prophetam Dei fuisse clarum est. Sic et quando ab Isaia prædictam illam Babylonicam desolationem etiam ipse prædixit, sic et quando de Christo et ejus genitrice prælocutus est : *Faciet Dominus novum super terram : Femina circumdabit virum (Jer. xxxi)* ; et multa in hunc modum. Ante mortem, cum regem Chaldæorum ad Syriam venturum, cum per principes suos Jerusalem obsessurum, ac post annos paucissimos eam capturum, et Judaicum populum legis divinæ contemptorem captivaturum et præconatus est, ut prædixerat, impleta contemplatus est. De quibus propheticis verbis et illud fuit : nam universa recolligere et ad medium reducere refugio, ne forte ista lecturis plus nimio prolixus videar. Illud, inquam, de similibus exstitit, quod regi Sedeciæ ab ipso ad secretum colloquium evocatus atque interrogatus : *Estne verbum a Domino ?* respondit : *Est ; in manu regis Babylonis traderis (Jer. xxxvii)*. Cumque ille subjunxisset : *Judæos qui transfugerunt ad Chaldæos, ne forte tradar in manibus eorum et illudant mihi*, respondit ille jam secundo pro re simili evocatus : *Non te tradent. Audi, quæso, vocem Domini, quam ego loquor ad te, et bene tibi erit, et vivet anima tua. Quod si nolueris, iste est sermo quem ostendit mihi Dominus. Ecce omnes mulieres, quæ remanserunt in domo regis Judæ, educentur ad principes regis Babylonis, et omnes uxores tuæ, et filii tui educentur ad Chaldæos, et non effugies manus eorum, sed manu regis Babylonis capieris, et civitatem hanc comburet igni (Jer. xxxviii)*. Noluit rex vel timuit consilio prophético acquiescere, et expertus est quidquid prædixerat illi propheta.

8. *De Ezechiele.*— Sic Ezechiel, ut multos et multa præteream de eadem Sedeciæ captivitate, licet longe positus in Chaldæa, quæ in Judæa futura erant, et quæ jam pene fiebant, absens corpore, præsens spiritu prædicens ait : *Nunquid qui dissolvit pactum effugiet ? Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in loco regis qui constituit eum regem, cuius fecit irritum juramentum, et solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur (Ezech. xvii)*. Et in sequenti prophetiæ serie : *Et omnes, inquit, profugi ejus cum universo agmine gladio cadent, residui autem in omnem ventum dispergentur, et scietis quia ego Dominus locutus sum (ibid.)*. Hæc, ut propheta ille præfatus est, sic omnia contigerunt, rege Sedeciæ ab hostibus capto et captivato, ac deinde in Babylone mortuo, cunctisque profugis ejus cum universo agmine gladio cadentibus, residuisque in omnem ventum dispersis.

9. *De Daniele.*— Sic et Daniel ex toto libri sui textu tam de proximo quam de longinquo futura prædicens, se clare Dei prophetam indicat, de quo ipsius prolixo volumine hæc pauca excerpsi. Ait ille

euidam regi Chaldæo qui Nabuchodonosor dicebatur, et sub cuius ipse debebat imperio, somnium sibi proponenti, et interpretationem postulanti: *Domine mi, somnium his qui te oderunt, et interpretatio ejus hostibus tuis sit: Arborem quam vidisti sublimem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cælum, et aspectus illius in omnem terram, et rami ejus pulcherrimi, et fructus ejus nimius, et esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiae agri, et in ramis ejus commorantes aves cæli; tu es rex, qui magnificatus es, et invaluisti, et magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad cælum, et potestas tua in terminos universæ terræ. Quod autem vidit rex vigilem et sanctum descendere de cælo, et dicere: Succidite arborem et dissipate illam: attamen germen radicem ejus in terra dimittite, et vinciat ferreo et ære in herbis foris, et rore cæli conspergatur, et cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora commutentur super eum. Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ supervenit super dominum meum regem: Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis et feris erit habitatio tua, et fenum ut bos comedes, et rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicumque voluerit det illud. Quod autem præcepit ut relinqueretur germen radicem ejus, id est arboris, regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cælestem. Quamobrem, rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua elemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis (Dan. iv). Cum hæc universa prophetico illustratus spiritu prædixisset, post unius tantum anni spatium impleta esse non tacet. Omnia, inquit, hæc evenerunt super Nabuchodonosor regem. Post finem mensium duodecim in aula regis Babylonis deambulabat rex, et ait: Nonne hæc est Babylon magna quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? Cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor rex: Regnum transiit a te, et ab hominibus te ejicient, et cum bestiis et feris erit habitatio tua. Fenum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit det illud. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, ex hominibus abjectus est, et fenum ut bos comedit, et rore cæli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues ejus quasi avium. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi, et sensus meus redditus est mihi, et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi et glorificavi, quia potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generatione et generationem, et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. Juxta voluntatem enim suam facit, tam in virtutibus cæli quam in habitatoribus terræ, et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei: Quare fecisti? In ipso tempore*

A *sensus meus reversus est ad me, et ad honorem regni mei decoremque perveni, et figura mea reversa est ad me, et optimates mei et magistratus mei requisierunt me, et in regno meo restitutus sum, et magnificentia amplior addita est mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico Regem cæli, quia omnia opera ejus vera, et viæ ejus judicia, et gradientes in superbia potest humiliare (ibid.).* Sic et regi Balthasar jam dicti regis successor, cum ab eo de scriptura parietis consultus esset, respondit quod de instanti, hoc est eadem qua loquebatur nocte futurum erat. Sic multa maxima et mira, tam de proximo quam de longinquo, ut dixi, tempore propheta ille prædicens, se vere Dei nuntium, se vere Dei prophetam rerum prædictarum effectibus declaravit.

B 10. Sic et tempore Roboam filii Salomonis regnantis super duas tribus Judaici populi, veniens quidam vir vere propheta, cujus nomen reticetur, ad quemdam alium regem idololatram, decem ejusdem gentis tribubus imperantem, dum eum super altare sacrificantem idolis invenisset, ait: *Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendant, et ossa hominum incendet super te. Deditque in die illa signum dicens: Hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, et effundetur cinis qui in eo est. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus quam extenderat contra eum, nec valuit rex eam retrahere ad se. Altare quoque scissum est, et effusus est cinis de altari, juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini, et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, et ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravit vir Dei faciem Domini et reversa est manus regis ad eum, et facta est sicut prius fuerat (III Reg. xiii).* Ecce quam magna propheta hic, et de longe post futuro tempore, et de instanti prædixit. De longe post futuro, cum post ducentos ad minus annos nasciturum regem etiam nominat dicens: *Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine (ibid.).* De instanti cum dicit: *Hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, et effundetur cinis qui in eo est (ibid.);* altare enim statim ut loqui cessavit, scissum est, et effusus est cinis ejus.

D 11. *De Elia et Eliseo.* — Sic Elias, sic Eliseus, sic innumeri alii, quos præ multitudine piget referre, plurima et magna prædixerunt, quorum veracem in omnibus prophetiam res absque diminutione, ut prædictum fuerat, implere docuerunt. Et ut aliqua etiam de his quos nominavi prophetica proferam, impletum est quod Elias idololatræ populo comminans prædixerat: *Vivit Dominus, si erit, hoc est non erit, ros aut pluvia, nisi juxta oris mei verbum;* nam triennio et sex mensibus, omni rore imbreque suspenso, tandem ad preces ejus et cælum dedit

pluviam; et terrā dedit fructum suum. Impletum est et illud quod cuidam regi Judæorum propheticè prædixerat: *Quia, inquit, misisti ad consulendum Beelsebrub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem: idcirco de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris (IV Reg. 1):* Impletum est et aliud quod quidem non ipse, sed filii prophetarum de ipso non semel tantum, sed bis de Eliseo ejus discipulo dixerunt: *Nunquid nosti quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? (IV Reg. 11.)* Quibus ille bis interrogatus, bis respondit: *Et ego novi, silete (ibid.),* quod impletum esse et currus igneus et equi ignei magistrum et discipulum dividentes, ipseque Elias per turbinem raptus in cœlum ostenderunt. Quid et de Eliseo? duplicem in se spiritum Eliæ fieri poposcerat, sed licet illa res, teste eodem propheta, ad impetrandum esset difficilis, quod postulaverat impetravit. Sed quando ejus propheticus spiritus et mens rerum; tam præsentium quam futurarum, sollicita indagatrix et veracissima pronuntiatrice explicabitur? Spondens illi leproso regis Syriæ principi purgationem a lepra; cumque ut curari posset Jordanicis fluentis intingui mandaverat, obedierat ille, licet prius de mandatis indignans, consilio servorum, et obedientia mandato prophetali exhibita, salutem concupitam meruerat. Tactus est pestifera et miseris mortalibus nimium assueta cupiditate Giezi puer ejus, et quod gratis a Deo per prophetam datum fuerat, multo argenti ac vestium pretio vendare visus, lepram principis jam curari simul cum opibus illicite concupitis, leprosus ipse subito factus, sibi protinus vindicavit. Non latuit hoc licet absentem prophetam, nec se hoc latuisse reverso ad se puero indicavit. Ait enim illi: *Unde venis, Giezi? qui respondit: Non ivit servus tuus ququam. Et ille ait: Nonne, cor meum in presenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, et accepisti vestes ut emas oliveta, et vineta, et oves, et boves, et servos, et ancillas; sed et lepra Naaman adhærebit tibi et semini tuo in sempiternum (IV Reg: v).* Subditque Scriptura: *Egressus est ab eo leprosus quasi nix (ibid.).* Ecce non fallax, sed verax propheta; non falsus, sed verus nuntius Dei, curandum leprosum et præsciit et prædixit, et factum est; avarum servum lepra curati hominis respergendum et præsciit et prædixit, et factum est.

12. *Quam longe ab his fuit absimilis Mahumetes.* — Quid simile, o Agareni, tot tantisque tam maximis prophetis vester ille, ille plane ille vester propheta, saltem de re qualibet vili et modica aut præsciit aut prædixit? Proponatur liber ejus, revolvatur Alchoran ejus, sublimis illa et cœlestis, juxta vos, ut dixi, scriptura, nulla Azoara excepta, per verba singula replicetur, procedat ille ad publicum tantorum propheta populorum, et se aliquid, ut dictum

A est, vile vel modicum propheticè prædixisse, ex libro quem suis reliquit ostendat. Sed redeat adhuc Eliseus: *Rex Syriæ, ait quædam Hebraicæ et Christiana Scriptura, pugnabat contra Israel, consiliumque inivit cum servis suis dicens: In loco illo ponamus insidias. Misit itaque vir Dei Eliseus ad regem Israel dicens: Cave ne transeas per locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt. Misit itaque rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, et præoccupavit eum, et observavit se ibi non semel neque bis. Conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re, et convocatis servis suis ait: Quare non indicatis quis proditor mei sit apud regem Israel. Dixitque unus servorum ejus: Nequaquam, domine mi rex, sed Eliseus propheta qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo (IV Reg. vi).* Audistis? præsciit et prædicebat spiritu prophético plenus propheta regi Israël Syrorum insidias, nec usquam oculum illum invisibilem aliquo astu hostium acies effugere poterat. Penetrabat subtilis ille et perspicax prophetæ intuitus remota terrarum, profunda vallium, abdita silvarum; intererat secretis propheticis auditus consiliis; claustris vel portarum repagulis repelli non poterat, cubiculis regalibus non deerat, cuncta quæ hostiliter et callide longe positi adversarii machinabantur regi suo propheta, nuntiis semper intercurrentibus, indicabat.

13. *Nihil unquam prædixit.* — Quare ergo propheta, juxta vos, tam famosus, aliqua saltem modica prophetiæ scintilla in tam frequentibus suis contra hostes expeditionibus, sibi ne dicam alteri non consuluit? Quare cum sæpe victus de præliis fugerit, se vincendum ab hostibus non præscivit? quare non prævidit et præcavit in quodam suo procinctu; cui ipse interfuit, unum sibi de inferioribus dentibus dentem excutiendum, labrum præcidendum, vulnera fronti et faciei suæ ab hostibus inferenda? Sed quid exspecto, o Ismaelitæ, aut a vobis aut ab ipso proferri ex jam dicto Alchoran, hoc est lege vestra, aliquid prophetam vestrum propheticæ prædixisse, ne dicam aliqua ex prædictis, ut ab eo prædicta sunt contigisse. Quid enim ex prædictis ab eo provenire potuit, de quo clarum est quod nihil prædixerit? Sed forte opponet vestrum aliquis; et producet ad medium, velut magnum quiddam, scripturam aliam genealogiam ejus, actus quosdam ipsius, et prælia continentem; in qua legitur eum prædixisse duodecim de gente propria vel familiâ, quæ Choraïs dicebatur, singillatim sibi invicem succedentes, se mortuo principaturos, ex quibus tres primos nominasse scribitur, Eubecaram, Aornâr, et Odmen; sed nec sic, nec sic prædesse poterit parti suæ diabolica fraus, nec pro splendore tenebras, pro lucis angelo Satanam fuligineum ingerere prævalebit. Et quis nobis, o Agareni, quos causa assumpta cogente toties nomino, ad probandum hunc de quo agitur prophetam Dei non fuisse. Quis, inquam, aptior ad hoc probandum inveniri poterit, quam ipse quem Dei prophetam dicitis? Si platur

ipse se negaverit prophetam, nunquid ipso resistente eum dicetis prophetam? hoc quomodo? audite. Et si aliquis in vobis rationabilis intellectus superest, advertite. Et ne diutius vos protrahens plus nimio suspensos teneam, audite ipsum loquentem in Alchoran vestro: cui scripturæ ab aliquo contradici nefas putatis. *Quidquid, ait, inveneritis pro me scriptum, conferte illud cum Alchoran, et si ei non concordaverit, scitote quia innocens sum ab illa scriptura, et non est mea.* Conferatur ergo scriptura jam dicta cum isto Alchoran, et videatur utrum concors cum illa aut discors ab ipsa sit. Dicit illa, ut jam dictum est, eum prædixisse duodecim viros de stirpe vel gente sua, quæ Chorais vocabatur, principatum suo post se singillatim principaturos, quorum primos tres; ut præmissum est, nominat. Hoc quidem scripturâ illa, ab alio quam ab ipso edita; ipse vero non alius econtra: *Quidquid inveneritis pro me scriptum, conferte illud cum Alchoran, et si ei non concordaverit, scitote quia innocens sum ab illa scriptura, et non est mea.* Non concordat autem cum Alchoran, quoniam totus ipsius libri textus, nihil ab eo propheticè dictum sonat, nihil de futuris eum prædixisse scribit. Nulli ergo magis, ut judicia, tam ecclesiastica quam Romana, imò tam divina quam humana fatentur, et ratio ipsa docet; nulli, inquam, magis quam de se confesso credendum est. Postponantur igitur ex tantæ dignitatis, quantum ad vos, libro, undecunque occurrentia scripta supponantur, quia teste Mahumeth vestro, si qua scriptura, ut ejus utar verbis, non concordaverit Alchoran suo, innocens ab illa, et non est ejus. Nonne ista, o viri, sufficiunt ad comprobandum eum non esse prophetam? Sed succedant his alia, et impium, imo perditissimum hominem ab omni prophetica gratia, etiam ipso fatente, procul exclusum declarent. Introducens enim velut poetico figmento nequam et mendax homo Deum sibi loquentem, sic in Alchoran ait:

14. *Alchoran continet falsa. — Tu quidem nequamquam ad eos cum Dei miraculis manifestis venies, quoniam ea velut odiosa atque contraria rejiciunt, et veritati ad eos venienti contradixerunt.* Et rursum: *Nisi sciremus eos tibi non credituros, daremus tibi signa et prodigia.* Quid dicam? quis digne mirari? quis effari? quis congruis verbis irridere tantam hominis stultitiam, imo insaniam potest? Et ut ad ipsum, de quo agitur, verba convertam: Hæccine tot causa est, o Mahumeth, qua sine miraculis missus a Deo ad homines venisti, quoniam et velut odiosa atque contraria rejecturi erant, et veritati ad eos venienti contradicuri? Hæccine, inquam, causa est, qua signa et prodigia tibi data non sunt, quia præsciebat Deus eos tibi non credituros, sicut nec aliis crediderunt? Si hoc tibi a Deo, ut dicis, dictum est, falsa est plane, falsa est absque dubio præscientia Dei. Quomodo enim, juxta hæc quæ proponis, falsa non est præscientia Dei, si præsciunt homines tibi etiam cum signis et prodigiis misso non credi-

aturos, cum sine miraculis, signis, et prodigiis nugacissimis fabulis tuis populi multi crediderint, sectæ nefariæ acquieverint, infernali doctrinæ tuæ seipsos nil morati subdiderint? Et cui hoc commentum tuum, cui plane non appareat enerve, fragile, testeum? Elige certe, elige de duobus quod malueris, aut dic Deum in præscientia sua errasse, dic mentitum esse, quod tibi non credituros homines etiam cum signis et prodigiis dixerit, cum tibi Arabes, Persæ, Syri, Ægypti, multaque pars Afrorum etiam sine miraculis crediderit; aut si fateri vereris Deum errasse, Deum mentitum esse, aufer falsa, aufer blasphema de libro tuo, imò, quod sanioris consilii est, damna ut erroribus, ut mendaciis, ut blasphemis respersum totum Alchoran tuum.

B 15. *Signis et miraculis crediderunt a Deo inspirati homines.* — Sed quid est et illud quod postquam Deum inducis tibi loquentem, quod præmissi: *Nisi sciremus eos tibi non credituros*, addis: *sicut nec aliis crediderunt?* qui sunt isti quibus homines non crediderunt? An forte Moyses? An forte ipse Christus? non occurrunt alii, non occurrunt plane alii, de quibus hoc te sensisse, de quibus hoc te dixisse conjicere possim. Sicut hi summi et soli legislatores in orbe, Moyses Judæorum, Christus universarum gentium. Moyses venit cum signis et prodigiis, Christus multo magis cum signis et prodigiis. Credidit Moysi visis signis et prodigiis Judæorum populus. Credidit Christo ejusque apostolis visis maximis et innumeris miraculis mundus. Qui sunt ergo de quibus dixisti: *Sicut nec aliis crediderunt?* Istis enim miracula facientibus crediderunt a Deo inspirati homines, tibi sine signis vana et falsa loquenti, a te decepti crediderunt homines. Falsum est ergo oraculum tuum, quod tibi a Deo dictum finxisti, nec illis credidisse, nec tibi credituros homines.

C 16. *Mahumeti testimonio probat eum non fuisse prophetam.* — Sed redeo ad illud, quod probare proposui, tuo te testimonio prophetam non esse. Quando enim signa tibi a Deo data non esse affirmas, utique te prophetam negas. Quid enim insignius prophetia? quid signum majus prophetia? quid enini rectius signum, quid prodigium, quid miraculum vocatur quam aut præterita, quantum ad homines, ignorata referre, aut præsentia reserare, aut futura prædicere? Cum ergo de præclaris quæ a Deo dantur signis prophetia sit; cum tibi signa a Deo data non esse prædicas, prophetam utique te esse negas. Aut igitur profiteri signa tibi a Deo data esse, et propheta permanere; aut si tibi signa data non sunt, propheta esse desine. Urget enim undique te coarctans ratio, ut si, sicut dictum est, signa tibi data esse negaveris, prophetam te pariter diffitearis; si data tibi dixeris, necesse est ut Deum mendacii arguas; necesse est ut quod mendaciter scripsisti corrigas. Et quia monstruosa verba tua et hæcenus inaudita pene obstupescere me cogunt, quis, o miser, ex universorum collegio propheta-

rum sic se dixit prophetam, ut tu? sic se voluit A
 credi prophetam, ut tu? Vitabant illi ut veri et
 humiles servi Dei gloriam magni nominis, et cum
 vere Dei prophetæ essent, prophetas se dicere, salva
 quantum poterant veritate, se dicere refugiebant.
 Unde quidam ex ipsis qui Amos vocabatur, dicen-
 tibus sibi: *Noli prophetare in Bethel, neque stilles
 super domum idoli (Amos VIII)*, respondit: *Non sum
 propheta, et non sum filius prophetæ, sed puer ar-
 mentarius ego sum, vellicans sycomoros (ibid.)*. Et
 Joannes, quem propheta vester Baptistam nomi-
 nare refugit, sed Zachariæ filium, dicit multa quæ
 tam ipsum, quam parentes ejus in Alchoran suo
 laude extollit, dicentibus sibi invidis Judæorum sa-
 cerdotibus et Levitis: *Propheta es tu? respondit:
 Non sum (Joan. I)*: qui tamen vere prophetæ Dei
 erant; sed prophetas se non esse, aliò qui ad vos
 nunc non pertinet, quandiu infideles estis, intelle-
 ctu, salva veritatis suæ professione, dicebant. Re-
 liquerunt tamen in libris suis, de quibus dubitari
 non posset, signa prophetica, ut quæ prædicebant,
 aut impleta ipso suo tempore demonstrabant, aut
 implenda, ut apud posteros postmodum claruit,
 declarabant. At vester ille, et quod satis admirando
 frequentare non possum, ille prophetam se dicit,
 Deum in scriptis suis se vocantem prophetam in-
 troducitur, et cum pene usque ad nauseam se Dei
 prophetam dicat, affirmet et replicet, nihil de fu-
 turis loquitur, nihil propheticum sonat, nihil a se
 non solum prædictum vel impletum ostendit, sed
 ne: implendum prædicat. Taceo illa quæ de para-
 diso voluptuosa, vel de inferno phantastica pro-
 mittit, in quibus ante non potest apparere propheta,
 quam ab illis qui in paradiso vel in inferno fue-
 rint probentur impleta. Non fuit ipsi, nec esset mihi
 si vellem, difficile, me vocare prophetam; non esset
 difficile scribere et scripto inducere Deum me voca-
 re prophetam; non esset difficile prædicare me
 hominibus Dei prophetam. Possem fingere quæ
 vellem de his quæ post finem mundi, et post rerum
 occasum, aut futura sunt aut non; nec possem de
 mendacio argui in hac vita, prædicando ea quæ
 futura sunt, aut non post hanc vitam.

17. Sileat ego commentum diabolicum, et, sicut
 supra dixi, fragile, enerve, ac testeum, quia pro-
 pheta credi non potest prædicando ea quæ post
 mundi hujus finem futura sunt, nisi se probet pro-
 phetam in his et ex his quæ ante mundi finem
 sunt. Assumat, si vult propheta credi, testes pro-
 phetiæ suæ, non ex mortuis, sed ex viventibus;
 non ex his quæ post mortem implenda promittat,
 sed ex his quæ ante mortem impleta ostendat. Hoc
 modo, hoc tali tamque evidenti argumento, credit
 Christianus populis suis, non quia tantum prophe-
 tas se dixerunt, sed quia prophetas se esse
 evidentibus signis, claris miraculis, ipsisque
 ab eis rerum prædictarum effectibus, absque ali-
 quo dubietatis vestigio comprobarunt. Aut ergo ta-
 libus indiciis te, o Mahumeth, ostende prophetam;

aut si hoc non potueris, desine te, o damnate at-
 que damnande, vocare prophetam. Et licet quæ
 præmissi sufficere possint ad demonstrandum longe
 te esse a prophetica gratia; aggrediar tamen velut
 ab altero exordio ista legentibus ostendere te non
 esse prophetam.

18. *Prophetarum alii boni, alii mali dicuntur. Qui
 boni.* — Prophetarum vel qui fuerunt vel qui di-
 cuntur, alii boni, alii mali. Bonorum alii prædicentes
 universalia, alii particularia. Malorum alii fallaces,
 alii veraces. Sunt præter hos qui non prophetæ, sed
 vulgari nomine divini dicuntur, ut augures, arioli,
 aruspices, magi, sortilegi. Prosequatur ergo stylus
 eo ordine singulorum distinctiones, ut propositæ
 sunt. Boni sunt, quorum vita laudabilis, quorum
 prophetia vel prædicatio verax, de quorum nume-
 ro sunt, quos supra scripsi, Moyses, Isaias, Jere-
 mias, Ezechiel, Daniel, multique alii. De his et
 ipse Christus, qui quamvis cunctorum propheta-
 rum Dominus ubi Deus sit, tamen quia multa
 prophetica dixit, propheta vocatus est. Testatur
 hoc Evangelium, quod ei datum, o Saraceni, fate-
 mini, sicut ibi de illo a turbis dictum legitur: *Pro-
 pheta magnus surrexit in nobis (Luc. VII)*; et sicut ipse
 de ipso: *Non capit perire prophetam extra urbem.*
 Qui tam vitæ quam prædicationi suæ verax, ut de-
 cebat, testimonium ferens, in eodem Evangelio
 Judæis secum altercantibus ait: *Quis ex vobis ar-
 guet me de peccato? (Joan. VIII.)* Nullus enim eum
 de peccato arguere poterat, qui sine peccato erat.
 C Istud quidem de vita; sed et de prædicatione quid?
Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? (Ibid.)
 Nam nihil nisi quod verum erat, Veritas proferre
 poterat. Est igitur ipse cum aliis bonis prophetis,
 et etiam super alios bonus propheta.

19. *Qui mali prophetæ.* — Sed mali prophetæ
 qui sunt? quorum vita reproba, quorum prophe-
 tia vel prædicatio falsa. Tales erant tempore Eliæ
 illi, qui in libro Regum Israel et Judæa leguntur
 quadringenti quinquaginta prophetæ Baal, et item
 quadringenti lucorum, quos idem Elias oblatum
 Deo sacrificium ignique cœlesti absumptum, suo
 jussu a populo comprehensos, ad torrentem Cison
 multo zeli divini ignitus fervore pertrahi fecit, ut
 D pessimos idololatrias interfecit.

20. *Bonorum alii universalia prædicunt.* — Bono-
 rum prophetarum, ut dixi, qui universalia, hoc
 est ad universos pertinentia prædixerunt, hi sunt
 ex parte, quos supra nominavi, cum cunctis pene
 aliis qui boni prophetæ dicuntur, quorum, ut præ-
 missi, vita laudabilis est et prædicatio verax. Ad uni-
 versos enim pertinet, quod ab illis de Christo præ-
 dictum est, qui, ut ait in Evangelio magnus quidam
 justus: *Positus est in ruinam et in resurrectionem
 multorum (Luc. II)*; cujus vita, cujus prædicatio,
 cujus mors, cujus resurrectio, cujus a cœlis egres-
 sio, et ad ipsos regressio, credentibus ad vitam, incre-
 dulis ad mortem facta sunt. Ipsius tandem in fine sæ-
 culi universale et ultimum judicium, perpetuas sede

toti mortalium massæ, ante cremendam majestatem ejus vi divina collectæ, distribuet pro meritis singulorum, unumquemque aut igni perpetuo tradens, aut vitæ secum sempiternæ restituens. Hoc modo et cuncta reliqua quæ in verbis illis vel libris prophetiis leguntur, ad omnes non ad quosdam pertinentia, sive in bono sive in malo accepta, illos respiciunt, quos universales prophetas nômimo.

21. *Alii particularia.* — Particulares illos dico, qui non illa quæ ad universos pertinent prædixerunt, sed qui ea quæ ad quosdam populos vel ad quæ quasdam nominatim expressas personas pertinebant, prophetico spiritu prælocuti sunt. De quibus est Jonas, qui ad gentilem tantum Ninivitarum populum a Deo missus est, licet illa ejus missio universarum gentium vocationem præsignaverit, licet quod mersus in mare, quod voratus a pisce, quod in ejus ventre manens illæsus, quod incolumis et a bellua et a mari evadens actu non verbo salvatricem Christi mortem, eique a morte cunctis miracula perferendam resurrectionem prophetaverit. De istis est et Samuel, qui non universalia, sed quædam ad quosdam specialiter pertinentia prædixit, ut Heli sacerdoti de his quæ pertinentia erant posteris domus ejus, ut Sauli primo regi Hebræorum, prius de asinabus Cis patris sui perditis et inventis, post de regno ejus ad proximum et æmulum transferendo, ac de quibusdam aliis, vel ad solam gentem Judaicam, vel ad quasdam certas personas pertinentibus causis. De his et ille ejusdem temporis propheta, qui ejus a Scriptura sacra non expresso proprio nomine vocatur Vir Dei, et qui post multa quæ jam dicto Heli ventura prædixerat, id etiam addidit: *Hoc, inquit, erit tibi signum quod venturum est duobus filiis tuis Ophni et Phinee; in die una morientur ambo (I Reg. II)*: quod et factum est. De his est et ille quem eadem Scriptura tacito nomine prophetam nominat, et quem cuidam regi Israel de rege Syriæ victoriam consecuto inducit loquentem: *Vade et confortare, et scito et vide quid facias; sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te (III Reg. XX)*. Rursus eidem regi alter sine nomine propheta: *Hæc, ait, dicit Dominus, quia dixerunt Syri: Deus montium est Dominus et non Deus vallium, dabo omnem multitudinem grandem hanc in manu tua; et scietis quia ego sum Dominus (ibid.)*: quod, et sicut prædictum fuerat, septima statim die impletum est. Nam, inito Hebræi contra Syros prælio, percusserunt de ipsis centum millia peditum in die una, fugeruntque qui reliqui erant in civitatem, cecidit murus super viginti quinque millia hominum qui remanserant. Hæc a jam dictis prophetis prædicta, non fuerunt universalia, sed aut de singulis gentibus, aut de certis personis, et de propriis ipsarum proventibus præostensa. De his est et magnus Elias, de his ipso, quantum ad miracula spectat, non inferior Eliseus, quorum alter, ut supra dixi, regi Ochoisæ mortem minatus est, illeque, ut prædictum fuerat, mortuus est; alter alteri regi, qui Joas

A dicebatur, frequentes de rege Syriæ triumphos prædixit, quod et sic contigit, et quædam similia ab ipsis quibusdam prædicta, et, ut dictum fuerat, adimpleta.

22. *Post Christum non fuisse universales prophetæ. Plures fuisse particulares.* — Sunt igitur hi quos præmisi, multique quos reticui, de illorum numero, quos quia non ea quæ ad omnes, sed quæ ad quosdam spectant, prophetico prædixerunt spiritu, particulares dico prophetas. Sed distinguendum est inter hos et illos, et caute ac sollicitè advertendum universales, hoc est ad universos pertinentia prædicentes, jam a Christi tempore nec potuisse nec deinceps usque ad mundi finem esse posse prophetas. Nam quidquid ad commune mortalium vel ipsius mundi statum aut defectum, quidquid ad religionem veracem aut fallacem, quidquid ad debitos et universales bonorum aut malorum fines spectat, totum a jam dictis, qui universales dicuntur prophetæ, prædictum est, et ab ipsis ad doctrinam et memoriam posterorum litteris traditum est. Quod ex maxima jam parte impletum, ex toto in sæculi fine implendum servatur. Unde cessantibus, et in Joanne, quem nos Baptistam, vos filium Zachariæ dicitis, nec nos ejus filium esse negamus, omnino, inquam, apud gentem Judaicam deficientibus prophetis, quæ sola usque ad Christum divinæ legis cultrix exstiterat, illud tantum prophetiæ genus cessavit, quod ad statum universalem pertinebat, quia universis ad id spectantibus plene præmissis necessarium jam non erat. Non fuit igitur Mahumeth vester, ut dicitis, signaculum prophetarum, hoc est ultimus in prophetis; sed Joannes Baptista, de quo Christus in Evangelio, juxta vos, sibi dato ait: *Lex et prophetæ usque ad Joannem (Luc. XVI)*. Prophetæ plane illi qui ad omnes pertinentia prædicere, non illi qui aliqua personalia prophetarent. Illos enim qui personarum aut temporum varios eventus post Joannem Baptistam prophetico spiritu prædixerunt, in diversis temporibus ac diversis mundi partibus, frequenter habuit et experta est Ecclesia Christi, sicut Paulum apostolum, qui multa de futuris et impleta et implenda prædixit. Impleta, ut in nobis et in Judæis, quando dixit: *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt (II Tim. IV)*; et in eodem versu: *A veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur (ibid.)*. Nam claret orbi præter vos et ipsos, quod tam vos quam ipsi, ut suo loco probabitur, a veritate auditum avertistis, et ad fabulas hunc convertistis, a veritate Christiana vos ad fabulas Mahumeth, Judæi ad fabulas Talmuth. Implenda vero prædixit, quando revelandum hominem peccati: *Filius perditionis qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur (II Thess. II)*, eumque in templo Dei sessurum, quem nos Antichristum dicimus, scripsit. Sic et alios ex apostolis, sic plurimos ex aliis eorum discipulis, qui et prophetæ dicti sunt, et prophetas se esse rerum

prædictarum effectibus ostenderunt. De talibus et ille fuit qui Agabus vocabatur, qui zona Pauli Jerusalem euntis, suos pedes alligans, ait : *Virum cujus hæc zona est, sic alligabunt in Jerusalem* (Act. XXI). Qui brevi tempore elapso, cum urbem illam adisset, captus a Judæis, alligatus a tribuno, flagellatus a Romanis, veridicum fuisse prophetam illum ostendit. Et quis hujusmodi prophetarum numerum, qui post Christum inter Christianos tam vita quam prophetia splenduerunt, explicet?

23. *Quidam universales et particulares fuere prophetæ.* — Si loquerer fidelibus et Christo credentibus, pateret campus immensus. Quando enim vel a me vel a quolibet explicari posset tanta prophetarum, non universalium, ut præmissi, sed singularium, ut dixi, a Christo usque ad nostra tempora prædictorum numerositas? Si eorum singillatim nomina vel numerum, qui in parte hujus prophetice gratiæ claruerunt, ex veracibus gestis collecta retexere vellem, fidem dictis, ut arbitror, adhibere refugeretis. Quomodo enim prophetis Dei credere possetis, qui necdum Deo ipsi creditis? Sed scio hunc esse intellectum vestrum, hanc esse professionem vestram; vos vero Deo et in verum Deum credere. Sed utrum hoc verum sit, subsequens et vos per Dei spiritum devincens ratio declarabit. Interim rem propositam sermo rationi famulans prosequatur. Erat autem sermo ille, erat ratio illa, qua de universalis prophetie modo, distinctione præmissa, de sequenti, hoc est singulari vel personali prophetie modo juxta propositam partitionem agebatur. De illo, inquam, plane prophetie modo, quo singularia, ut dixi, prædicuntur, non quo universalia prophetantur. Nam ille, ut sic loquar, universalis prophetie modus ab ipsa pene primi hominis creatione exortus est; sed in Joanne, ut dixi, consummatus est. Particularis vero aut personalis et ante Joannem et post multis datus est, et adhuc fortassis pluribus dandus. Hac gemina discretione prophetice gratiæ descripta, ad universales simul et particulares prophetas sermo redeat, et qui sint ex scriptis declaret.

24. *Ut Isaias.* — De istorum numero rursus Isaiam produco, qui sicut universalium prædixisse præostensus est, sic quod etiam singularia ad quasdam gentes, vel personalia ad quasdam personas pertinentia prædixerit probandum est : ad quasdam gentes, ut illud quod contra Babylonem, quod contra Moab, quod contra Damascum, quod contra Ægyptum, quod contra Idumæos, quod contra Arabiam, quod contra Tyrum, ut lectio libri ejus indicat, prophetavit; ad quasdam personas, ut illud quod de rege Assyriorum Sennacherib, quod de rege Judæorum Ezechia, quod de quibusdam aliis, sicut ibi diffusius legitur, prophetavit.

25. *Jeremias.* — Sequitur hunc et suprascriptus Jeremias, qui modo eodem sicut multa ad universos pertinentia prædixit, ita et singularia vel personalia pleraque non tacuit : singularia quarundam

gentium, ut ea quæ contra Palæstinos, ut ea quæ contra Moab, ut ea quæ contra filios Ammon, ut ea quæ contra regna Azor, ut ea quæ contra Elam, ut ea quæ contra Babylonem prophetico plenus spiritu prophetavit; personalia, sicut quando regem Sedechiam a Chaldæis capiendum et captivandum prædixit, sicut quando Ananiæ cuidam falso prophetæ sic minatus est : *Non, inquit, misit te Dominus : Et tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco hæc dicit Dominus : Ecce mittam te a facie terræ, hoc anno morieris; adversus Dominum enim locutus es* (Jer. xxviii). Sic et quando quibusdam duobus ait : *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel, ad Ahab filium Culia, et ad Sedechiam filium Amasia, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter : Ecce ego tradam eos in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, et percutiet eos in oculis vestris* (Jer. xxvii).

26. *Daniel.* — De his universalibus simul et personalibus est Daniel, qui, ut longe supra præmissi, utroque charismate plenus, et quæ ad omnes et quæ ad quosdam solummodo pertinebant, sæpe præfatus est. Ad omnes, ut quando somnium regis Chaldæi, cujus idem rex immemor factus fuerat recitans, quid præsignaret prædixit. Viderat ille statuam cujus caput aureum, cujus pectus et brachia argentea, cujus venter et femora ærea, cujus crura ferrea, cujus pedes partim ferrei partim fictiles, præsignabant maxima mundi regna sibi invicem successura, varios habitura processus pariter et proventus, quæ per mutuas successiones in tantum sui diurnitatem portenderent; donec percussa lapide absciso de monte sine manibus, deficiente mundo, finirentur et ipsa. Rursus ea quæ ad omnes, ut ultima pars prophetie ejus indicat; quæ si quis vestrum legerit inveniet. Quæ vero ad quosdam, ut ea quæ ab ipso prædicta sunt regi Nabuchodonosor, ut et illa quæ regi Balthasar. Est igitur Daniel, ut duo supramemorati, non universalis tantum vel personalis, sed simul universalis et personalis propheta.

27. *Hebræorum prophetas audire debent Ismaelita.* — Sed, quia Hebræos prophetas vobis sicut Judæis propono, mirabitur forsitan aliquis vestrum. Sed, ut desinat mirari, audiat sequentia : Hebræi quidem jam dicti prophetæ sunt, sed, licet Hebræi sint, etiam vestri sunt. Sed, dicetis : Nostri quomodo? Quid enim Arabs ad Hebræum? Quid Ismaelita ad Judæum? Et multum plane : primo quod Ismael et Isaac fratres fuere, licet ille de Agar ancilla, iste de libera Sara; secundo, quod præter consanguinitatis lineam et linguam tam in notis litterarum quam in eloquio pene communem, etiam singulari et antiquo circumcisionis signo velut ab utriusque gentis patre Abram derivato, vos ipsos ab universarum gentium aut innatis usibus, aut traditis legibus secrevistis; tertio, quod Hebræos aut Christianos de quibus agitur, prophetas, ut divino Spiritu inspiratos, et prophetica gratia plenos, a

vobis suscipi debere evidentibus et invictis in suprascripto libro rationibus monstratum est, quas ad integrum reassignare, et velut de novo litteris tradere, si præcedentibus aurem sollicitam adhibuistis, superfluum est. Quod si forte aut ut rerum de quibus agitur instantium contemptores negligenter audistis, aut communi quæ pene omnes præter studiosos occupat desidia, lecta vel audita oblivioni lethargicæ tradidistis, replico breviter quæ supra diffusius dicta, si tanta vobis salutis vestræ cura est, recolligere poteritis. Ex quibus prophetas Judaicos aut Christianos, de quibus longus sermo præcessit, vestros etiam esse, vosque eisdem ut vestris credere debere, si remota, ut suprascripsi, perspicuæ veritati renitens obstinatio fuerit, omni fugata nubium caligine ratio indubia declarabit. Et quid dico declarabit? imo jam declaravit, et nisi infidelibus loquerer, et his qui a Deo prorsus alieni sunt, sæpe dicta iterare refugerem. Sed ferat stylus omnia patienter, et hæreticis aut ethnicis hominibus, salva fidei et veritatis constantia, morem gerat.

28. *Aut ex eis nihil debent inserere Alchorano suo.* — Quid exiges a me, Ismaelita? unde prophetas meos, tuos esse comprobem? unde ex verbis ipsorum velut a te concessis contra te pugnam? habeo plane, habeo multa. Quæ? audi. Cur accipis aliquid de libris meis, qui longe tuis antiquiores sunt, cum ego Christianus, tu hæreticus, ut dixi, aut ethnicus sis? Quid mihi et tibi? Nihil ego assumo de libris tuis, quare tu furaris aliquid de libris meis? an æmulagis mea? an forte Christianus vis fieri? et o utinam! o utinam plane! utinam relicto errore stulto, mortifero, carente omni ratione, destituito omni veritate, evanescente per inania phantasmatum et inaudita nugarum, ad Deum verum convertaris, Christum Dei virtutem et sapientiam agnoscas, et a nefandi et turpissimi hominis laqueis erutus, possis cantare cum David rege et propheta, cui psalmos a Deo datos nequam ille scripsit: *Laqueus contritus est, et nos liberati sumus (Psal. cxxiii).* Hoc si dissimulas, dimitte mea, serva tibi tua. Nihil meis libris intersero de Alchoran tuo. nihil scriptis tuis admisceas de Evangelio meo. Relinque mihi Moysen meum, dimitte prophetas meos, noli misturam prodigiosam et a nullo rationabili animo ferendam conficere, ut vel infernalibus scriptis cœlestis oraculi verba interseras, vel ea nefandarum admistione fabularum, et undique circumposito aggere mendaciorum deturpes; et qua ratione, imo qua insania, de falsis, ut credis et prædicas, Hebraicis aut Christianis libris quædam illi tuo, ut existimas, de cœlis misso Alchoran miscuisti? qua mente Judaica, ut putas, vel Christiania mendacia veraci scripturæ tuæ inseruisti! nam, si libri nostri mendaces sunt, et quæ inde excerpta sunt falsa sunt; quod si excerpta falsa sunt, et scripta quibus inserta sunt falsa sunt. Sed verum est quia inserta sunt Alchoran tuo. Certum est igitur quia, falsitate

A illi admista, falsum est et ipsum Alchoran tuum, nec in parte tantum, sed in toto falsum; nam, etsi forte aliqua ibi vera sunt, falsorum admistione corrupta sunt, nec jam fide digna sunt. Nunquid non ita se habent universarum gentium judicia? ubique per orbem lex ista viget, si vel in verbo uno falsus testis inventus fuero, nec in veris audiar, nec in veris fidem merebor. Hac justitia reprobo Alchoran tuum, hoc æquitatis iudicio non ejus aliquas partes, sed ex integro condemno totum Alchoran tuum. Elige tibi, ut longe supra posui, de duobus alterum. Aut propter falsa quæ ex libris, ut dicis, falsis assumpta et libro tuo inserta sunt, Alchoran abjice; aut, si nolueris, Hebraicos et Christianos libros ex quibus illa sumpta sunt veraces fatere. Et quia non patet uspiam via qua has angustias evadere aliter possis, credo te magis eligere nostros libros fateri veraces, ne quæ hactenus lege paterna servasti, cum ipso ipsius legis auctore simul universa exspirent. Quod si hanc partem elegeris, libris sæpe jam nominatis, hoc est Hebraicis et Christianis, ut Scripturis propriis fidem dabis. His de causis Hebræos tibi prophetas proposui et proponam, sicut Hebræo Christum, et Christi discipulos ut Christiano; unde, cum probare aliquid intendo, sicut ex concessis, sicut ex his quibus jam acquiescis, ut ratio docet, exempla produco.

29. *Mahumeth neque universalem neque personalem fuisse prophetam.* — Et quoniam jam communes nobis vobisque, o Agareni, libri jam dicti facti sunt, ad cœpta sermo recurat, et qua de causa tot prophetarum exempla coram produxerit, indicet. Mahumeth legislatorem vestrum prophetam vel Dei nuntium non fuisse ex superioribus plene quidem probatum est, sed adhuc ob majorem evidentiam ista lecturis conferendam juxta præmissas divisiones probandum est; nam, ut supra scripsi, prophetarum vel qui fuerunt vel qui dicti sunt, alii boni, alii mali: bonorum alii prædicentes universalialia, alii particularia; alii de eisdem simul universalialia et particularia vel personalia, quos nominatim ad medium deduxi et quæ de tripertita propheticæ gratiæ distributione gratia quemque contigerit, sigillatim expressi. Hoc ea de causa, ut tu quicumque Mahumeth prophetam nominas, quicumque eum prophetam affirmas, ostendas et aut auctoritate aut ratione probes eum, aut de universalibus esse prophetis universale aliquid, aut de particularibus particulare aliquid, aut de personalibus personale aliquid prædicendo fuisse prophetam. Sed quid frustra laborem insumerem? quid in vanum certarem? Invitavi et invito, provocavi et provoco, ut respondeas qua vi, qua ratione, quo figmento, veraci vel fallaci, hominem hunc, o tu Arabs, prophetam esse credis, prophetam esse dicis. Prædixitne aliqua, unde particularis, ad quosdam non ad omnes pertinentia prædicens, possit dici propheta? Prædixit aliqua unde non ad quosdam pluraliter, sed ad quosdam personaliter,

vera aliqua priusquam fierent prophetizans possit A probari propheta? Sed quid errori tuo pertinacius militans, et salutis tuæ contrarius, quæ salutis sunt refugis, quæ perniosa sequeris? Dic, dic, jam si quid habes, ostende Mahumeth tuum ex aliqua prædictarum divisionum parte aut prophetam esse universalem aut particularem, aut simul utrumque, aut personalem, hoc est non ad universos, vel ad multos, sed ad quosdam pertinentia prophetantem. Sed quid agis! quid me suspensum tenes? dic si quid habes, ut justificeris. Hæc quidem verba Dei sunt, sed et post ipsum et cum ipso etiam mea sunt; si quid magnum, si quid saltem vile vel modicum prophético spiritu dictum vel scriptum ex Alcoran tuo toties et usque ad tædium nominato proferre potes, profer, enarra. Invenisne, ut supra jam dictum est, in toto illo libro tuo juxta te sacro, juxta nos exsecrando, aliquid ab illo tuo propheta propheticè dictum de præteritis, aliquid de præsentibus, aliquid de futuris? Nam in hac, ut præmissum

est, trina distinctione totius propheticæ gratiæ summa consistit. Nam quæcunque propheticè prædicuntur, aut sunt, ut dictum est, de præteritis, aut de præsentibus, aut de futuris; sive sint illa quæ dicuntur universalialia, particularialia, vel personalialia, vel de instanti tempore, vel prope vel longe post futuro prædicta. In quibus ergo propheticæ gratiæ divisionibus tam subtiliter et diligenter exquisitis prophetam tuum, o Arabs, contra quem ago, invenire poteris? Sed refugio objicere quæ jam objeci, nam nec universalem, nec particularem nec personalem eum esse prophetam probavi, nec de præteritis aliqua revelasse, nec de præsentibus aliqua demonstrasse, nec de futuris aliqua prophetasse ostendi. Si hæc ita se habent, non est hic tuus vel alicujus, ut dicebas propheta, sed, ut ex præmissis colligitur, nihil prorsus propheticum dixisse vel scripsisse legitur, non est igitur propheta.

(Desunt duo libri quos invenire non potui.)

PETRI VENERABILIS

CLUNIACENSIS ABBATIS NONI

EPISTOLA SIVE TRACTATUS

ADVERSUS

PETROBRUSIANOS HÆRETICOS (202)

PRÆFATIO.

Dominis et Patribus, magistris Ecclesiæ Dei, C Arelatensi, Ebredunensi archiepiscopis, Diensi et Wapicensi episcopis, frater PETRUS humilis Cluniacensium abbas, salutem et obsequium.

Scripsi nuper epistolam reverentiæ vestræ contra

ANDREÆ CHESNII NOTÆ.

(202) Tractatum hunc epistolam vocat ipse Petrus Ven. ep. 17 libri iv; sed et librum etiam nuncupat ac ostendit separatim ab aliis epistolarum libris editum ep. 55, ad Petrum, notarium suum, his verbis: « Dirigas epistolas nostras ac Vitam D. Matthæi episcopi quia liber contra hæreticos editus deest. » Bis autem solummodo quod sciam liber hic ante nostram hanc editionem excusus est, Parisiis semel anno 1525 cum reliquis epistolis, et semel Ingolstadtii seorsim anno 1546.

(203) Contra hæreses Petri de Bruis. Petri hujus, qui Petrobrusianis hæreticis nomen dedit, neque

hæreses Petri de Bruis (203) disputantem, sed innumeris et magnis negotiis a dictando animum, a scribendo stylum retardantibus, huc usque mittere distuli. Mitto nunc tandem eam prudentiæ vestræ, ut per vos hæreticis, contra quos scripta est, et etiam

apud illorum temporum historicos, neque apud illos etiam qui tunc, aut paulo post hæresum et hæresiarcharum iudices texuerunt, ulla mentio reperitur. Alfonsus a Castro primus, ut opinor, post auctorem nostrum, ejus meminit lib. iii, v, baptisma, hæres. v; scribitque Gallum ex provincia Narbonensi fuisse. Quanquam et Bernardus Guidonis asserit Calixtum II papam anno 1120, viii Id. Junii celebravisse concilium Tolosæ cum cardinalib. archiepiscopis, et episcopis et abbatibus provinciæ Gothiæ, Gasconiæ, Hispaniæ et citerioris Britanniæ. In quo concilio inter cætera quæ gesta sunt, in eodem fuerunt damnati